

cipium, aut positione, aut forma, aut aliquo alio definitum, & id ad quod deinceps dicitur esse, nihil eorum cadit, quæ in eodem genere sunt, vt linea ad lineam, aut vnitas ad vnitatem, aut domus ad domum. Nihil vero prohibet inter ipsa quippiam aliud esse. Quod enim deinceps est, ad quippiam est deinceps, & est quid posterius illo. Non enim ipsum vnum ad duo deinceps est, aut ad nonas Calendæ. Hærens autem id est, quod deinceps est, atq; insuper tangit. Quoniam autem omnis mutatio est in oppositis, hæc autem sunt contraria atq; contradictoria, & nihil est medium contradictionis, patet ipsum quod est inter, in contrariis ipsis tantum consistere. Continuum autem est quoddam hærens. Atque tunc continuum esse dico, cum vtriusq; fines quibus se tangunt ac continentur, vnum idemque fuerint facti. Quare patet in iis esse continuum, ex quibus aptum est vnum quid fieri tactu. Patet & primum id esse, quod est deinceps. quod enim est deinceps, non tangit. Hoc autem est deinceps: & si continuum est, tangit. Si vero tangit, nondum continuum est. In quibus autem non est tactus, in hisce neq; copulatio est, vt patet. Quare punctum non est idem quod vnitas. puncto enim competit tactus. Vnitatibus vero non tactus, sed esse deinceps competit: & inter illa quidem est aliquid, inter autem vnitatem nihil esse videtur.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI  
IN PRIMAE PHILOSOPHIAE LIBRVM VNDECIMVM,  
QVI LATINIS EST DVODECIMVS, interprete Io. Genesio Sepulueda.



Contemplatio præfens de ipsa substantia est, vt diximus. Substantiarum enim hic principia causæque quærentur. Etenim si vniuersum ipsum, vt quippiam totum est, substantia nimirum prima pars erit. Et si ea quæ sunt, deinceps sunt collocata, hoc etiã pacto substantia primum, deinde qualitas, aut quantitas erit. Et insuper, vt absolute loquamur, neq; entia sunt hæc, sed qualitates, ac motus, quemadmodum & non album, atq; non rectum. nam & hæc dicimus esse ceu non album est. Præterea nihil cæterorū est separabile. Testes etiam sunt & ipsi veteres, per ea quæ faciebant. elementa nanq; substantiæ principia causasq; quærebant.

**I**N hoc libro, qui vndecimus a Peripateticis inscribi solet, de primo eodemq; immobili principio, propter quod hæc omnis doctrina tradita est, edisserit. Sed quoniam principij nomen plurifariam dicitur (nam & materia principium appellatur, atq; item forma, & priuatio) idcirco quæ ad eiusmodi partitionem attinent, summatim primū strictimque perstringit, vt conueniente ratione cōpendiariaq; via ingressi, recte facileq; huius a cæteris principijs discrimen inuestigemus. Præterea quoniam inter propositas quæstiones illud quoque quærebatur, vtum sint omnium eadem principia, an aliorum alia, quod nondum explicatum constitutumque est: idcirco causarum mentionem repetit, vt modo quodam omnium rerum eadem principia, alio secus esse demonstrat. (Contemplatio præfens de ipsa substantia est.) Quoniam propositam doctrinam primam esse omnium disciplinarum demonstratum est, primæ autem subiectum primum est, cum substantia prædicamentorum prima sit, vtique substantia subiectum erit sapientiæ. Rursus, quia substantiarum quædam prima est, alia secunda: par est, vt omnium prima substantia primæ philosophiæ subiectum habeatur. Præfatus autem de substantia esse considerandum, breuiter causam eius subiecit, dicens (substantiarum enim hic principia causæque quærentur.) Nam qui substantiæ principia causasque inquirit, is substantiam ipsam inquirit: vt qui defectus causam quærit, defectum ipsum indagat. Vt enim traditur in libro posteriorum, defectus causa, defectus definitio est, hæc porro defectus ipse. Demonstrato igitur hanc scientiam & primam, & de primis esse, substantiam prædicamentorum primam esse demonstrat: vt si sapientia prima doctrina sit, prima autem de primis edisserat, dubium esse non possit, quin si substantia prima esse demonstratur, sapientia qua de agimus, substantiæ contemplatrix esse intelligi debeat. Sed initio quibus modis substantia intelligi valeat, cum nouem prædicamentis definit, dicens. (Etenim si vniuersum sit, vt quippiam totum est, substantia nimirum prima pars

Substantia  
subiectū sa-  
pientiæ.

erit) id est, siue vniuersam sensibilem substantiam cum accidentibus quasi vnam accipiamus, substantia prima pars erit. siue decem prædicamenta disiuncta inter ipsa & discreta ordine quodam intelligamus, primum exempli causa quantum, deinde quale, tum substantiam, & cætera deinceps singula, sic quoque substantia primum locum obtinebit, secundum quale, tertium quantum, & pari ratione cætera. hoc enim est quod ait, (& si cõsequenter) id est etiã si prædicamẽta deinceps ac ordine posita, nõ autẽ in substantia existẽtia intelligamus. Sed quoniã ea verba paulo sunt obscuriora, operæpretiũ fuerit ipsa exemplo declarare. Socrates est quidẽ substantia, at non id solũ, sed albus etiam, sed philosophus, sed musicus. huius igitur vniuersitatis, quæ ex Socratis substantia, & albo, philosopho, & musico consistit, pars est musicũ. Pari ratione Socrates pars est eius totius, quod ex musico, & philosopho, atque Socrate perficitur. Vt igitur in his, sic item sese res habet in vniuersa substantia sensibili, & nouẽ prædicamentis. Substantia igitur pars erit vniuersitatis ex substantia sensibili, & quanto, qualique, ac cæteris conflata. Similiter quantum pars constituti ex substantia, quanto, & quali, ac cæteris accidẽtib. Cum ergo substantiã cæteris priorem utroque modo esse dixisset, siue decẽ prædicamẽta vt quiddam vnũ, vnamque naturam ab his diuersam cogitatione depingamus, siue eadẽ ordine discreta, illud in huius demõstrationẽ adiungit (cũ præsertim hæc simpliciter fere nõ sunt entia) hæc, inquit, id est præter substantiã nouẽ prædicamenta. Vt autẽ exponeret quæ sint cætera præter substantiã, adiecit (vt qualitates ac motus) quorum verborũ sensus est. Nam qui tandẽ cætera prædicamẽta priora quã substantia esse intelligi valeant, cũ ea per se non entia sint, sed esse dicantur, ac entitate participant, quoniã substantiæ sunt affectiones: si ergo propter substantiã sunt entia, & ab illa suum esse mutuuntur, nemini dubiũ esse debet, quin ipsis cunctis substantia prior habeatur. Illud autem (vel nõ album & non rectũ) æquipollet huic, quin etiã non album, & non rectũ entia ob album & rectũ dicuntur. Dicimus enim non albũ esse, atque item non rectũ. Cum igitur albũ, quod per se non ens est, substantia esse mutuetur, & non albũ, quod est albi priuatio, propter habitũ, id est propter albũ & fit & appelletur, magno id argumẽto esse debet, substantiã cæteris omnibus esse priorẽ, quippe cũ habitus vt albedines & caliditates ob ipsam, nõ albedines vero, & nõ caliditates ob habitus entia & sint, & nũcupentur. Præterea, inquit, nullũ cæterorũ a substantia potest auelli, sed suũ quodque esse obtinet in substantia, & hanc, vt cõstare possit, requirit. At sine quo cætera nõ cõstãt, ipsum cõstat sine cæteris, id prius est alijs. substantiã porro alijs esse priorẽ, veterum quoque testimonio cõfirmat. Nam veteres, inquit, substantiæ principia inuestigabãt, præterea nullius, ceu substantiã cæteris priorẽ esse cõfiterentur. Nemo enim primorũ ac proprie entium principijs omisiss, posteriorum initia quærit.

Qui igitur hac ætate sunt, vniuersalia substantias magis ponunt. Genera enim vniuersalia sunt, quæ principia substantiasque magis inquirunt esse, ex eo sane, quia modo differendi de ipsis quærit. Antiqui vero singula, vt ignẽ, & terrã, sed nõ corpus cõmune. Substantiæ autẽ tres sunt, vna est sensibilis, cuius alia est perpetua, alia corruptibilis, quam omnes esse fatentur, quales sunt plantæ, ac animalia. Atque huius elementa sumantur necesse est, siue vnum sit, siue multa. Alia est immobilis. hanc quidã inquirunt separabile esse, alii diuidentes in duas, alii in vna natura ponentes formas ipsas & mathematica, alii mathematica solum esse dicentes. Illæ igitur, naturalis scientiæ sunt. sunt enim cum motu. hæc ad aliam scientiam spectat, si principium nullum est ipsis commune.

Qui ergo hac tempestate sunt, vniuersalia substantias magis ponunt. Postque substantiam cæteris rebus priorem esse demonstrauit, ac proinde sapientiã cunctis alijs disciplinis anteferri, substantiarũ initia causasque conquirunt, quæ quibus initia esse substantiæ placuerit, conuenienter cõmemorans. & ait (qui ergo hac ætate sunt, vniuersalia substantias magis ponunt) Quæ porro sint vniuersalia, subiungit (Nã genera, inquit, vniuersalia sunt, quæ principia substantiasque magis inquirunt esse) scilicet, quia logice & inaniter inquirunt. Relictis enim rebus, quæque proprie esse intelliguntur, in nõ entibus inquiredo versabantur, quoniã vniuersalia cum non sint, esse obtinent cogitatione. Huius ergo, inquit, memoriæ philosophi vniuersalia substantias esse contendunt. nec his verbis Platonẽ designat, cum Plato nõ fuerit in huiusmodi sententia, sed alios suos æquales. veteres vero contra singula substantias appellabant. Heraclitus enim ignem substantiã & principium esse statuebat, Parmenides in libro quem in sententiam inscripsit, ignem & terram. Thales Milesius aquam, & alius item aliud. corpus vero cõmune & vniuersale, quod de omni corpore prædicatur, qui principium esse diceret, veterum inuentus est nemo. Hæc effatus, tres ait esse substantias, quanquã de ipsis alij aliter fuerint opinati. quas substantias commemorans, vna inquit est sensibilis, de qua omnibus sine discrimine conuenit. Nam intelligibilem & diuinam substantiam nullam esse stulte plerique tradiderunt. de quorum numero Hippon fuit, qui ex argumento *ἀθεος*, id est impius & a dijs auersus est cognominatus. hic enim præter sensibilem naturam quicquid esse negabat. Vna igitur substantia est sensibilis, quam esse omnes consentiunt: quæ partim mortalis est, vt stirpes & animalia: partim sempiterna, vt globi cælestes, & quæ in ipsis continentur stellæ. Quod vero ait (cuius elementa sumantur necesse est, siue vnũ sit, siue multa)

Vniuersalia  
quæ sunt.

Hippon  
atheus.

non est ad sempiternam substantiam referendum, sed ad sensibilem, quæ de corporibus tum mortalibus, tum etiam immortalibus prædicatur. huius ergo elementa inuestiganda sunt. Nam ut animalium stirpiumque elementa esse materia ipsis subiecta intelligitur, sic spherarum stellarumque elementum est ipsarum subiectum, id est quintum corpus. Atque hæc quidem sunt duæ substantiæ. Tertia est intelligibilis & sempiterna, & motus immunis, quam nonnullis abiunctam & diuersam ab his esse placet. Cæterum & hanc quidam, ut Plato, in duo partiuntur, id est in mathematica. Seiuncta enim ac per se mathematica esse Platoni videntur, & in formas seu ideas. fuerunt autem ex Pythagoricis, qui mathematica & formas in naturam vnam referrent, mathematica nihil ab ideis differere tradentes: cum ipsorum alij (neque enim omnes Pythagorici eiusdem sectæ fuerunt) ideas reiicientes, mathematica tantum esse dicerent. Cum ergo substantias tres esse dixisset, illæ, inquit, id est substantia sensibilis & mortalis, atque substantia sensibilis immortalis, physicæ, id est naturali doctrinæ subijciuntur. cuius causam breuiter intulit, dicens (Sunt enim cum motu.) In quibus enim motus & quietis principium habetur, de ijs considerare, munus est naturalis disciplinæ. De intelligibili vero diuinaque substantia disputare non ad physicam pertinet, sed ad primam philosophiam. Non esse autem physicæ de substantia diuina differere, docet his verbis (si principium nullum est ipsis commune) quorum sensus est. quoniam substantia intelligibilis cum sensibili nihil omnino societatis habet, nec ipsis est principium aliquod commune, satis intelligitur non esse physicæ munus de illa disputare. Ac mentem quidem dictorum huiusmodi esse reor. Dictionis autem continuatio in principio huiusmodi est. substantia est triplex, vna sensibilis, quam esse omnes sine controuersia confitentur, & cuius elementa statuere necesse est, vnum ne, an plura habeantur. Deinde sequitur illud, quæ substantia, sensibilis videlicet, duplex est, altera mortalis, altera sempiterna.

Physicæ non est de diuina substantia considerare.

Atqui substantia sensibilis est mutabilis. Quod si mutatio est ex oppositis mediisque, ex oppositis vero non omnibus (vox enim est non albu, sed ex contrario) subesse aliquid necesse est, quod in contraria mutetur ac pergat. nam ipsa contraria non mutantur, & insuper illud quidem manet, contrarium vero non manens. Est ergo quid tertium præter contraria, materies ipsa. Si igitur mutationes sunt quatuor, aut in substantia, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in vbi, & generatio simplex, corruptiove fit in substantia, accretio decretiove in quantitate, alteratio in affectu, & latio fit in loco, mutationes utique in contrarietates singulas erunt. Materiam igitur mutari necesse est, vtrunque potestem.

Atqui substantia sensibilis est mutabilis.) Hæc oratio longe haberetur illustrior, si pro eo (Atqui substantia sensibilis est mutabilis) supponeretur hoc, sed quoniam substantia sensibilis mutabilis est. Nam cum supra triplicem esse substantiam dixisset, vnam sensibilem, cuius essent initia inuestiganda, iam quæ sint huiusmodi elementa substantiarum sensibilium tum mortalium, tum etiam immortalium, inquit. Ait ergo. Quoniam sensibilis substantia mutabilis est, omnis autem mutatio est ex oppositis aut medijs, non tamen ex quibusuis oppositis, sed ex propria negatione, ut ipse in physici auditus primo libro tradidit. color enim albus efficitur ex non albo, non quocunque, cum vox etiam non alba dicatur, nec tamen ex ea fiat color albus, sed ex non albo colore, qui est albi negatio, & musicus fit ex non musico, non tamen ex domo, licet ipsa non musicum appellari possit, sed ex negatione propria. & homo ex non homine, non omni, sed propria priuatione, cui similis est ratio cunctorum efficiendorum. Cum omnis igitur mutatio ex oppositis fiat aut medijs, nam ex fusco etiam album efficitur, nec oppositum maneat, cum oppositum aduenit. neque fiat ipsi subiectum. haud enim caliditas frigiditati subijcitur, sed ad præsentiam frigidi non perstat, sed deletur calidum. si hæc ergo ad hunc modum sese habent, necessarium profecto fuerit, ut tertium aliquid habeatur, quod quidem est materia quæ ex frigido in calidum transit, ac vicissim ex calido in frigidum. Porro quoniam motus in tribus prædicamentis versatur, ut in libro physici auditus quinto demonstratum est, quali, quanto, vbi: mutatio autem & in his & in substantia. quod enim ait (secundum quid) naturalem substantialemque formam significat. Et (generatio quidem simplex, & corruptio est secundum hoc) id est, est mutatio secundum substantiam. Nam substantiarum generationem simplicem vocabamus in libro de generatione. Accretio decretioque mutatio est secundum quantitatem, latio secundum locum, alteratio secundum affectionem, ut caliditatis & albedinis. quæ cum ita sint, efficitur, ut singulis rebus mutatio quæque in oppositionem abeat. Mutatio per quantum, in oppositionem per quantum. quæ quidem est magnum & paruum, vel perfectum & imperfectum. mutatio per substantiam, in oppositionem per substantiam. hæc autem est forma & priuatio, cui similis est reliquarum mutationum ratio. quod si verum est, ut tertium quiddam sit materia ipsa necessariū fuerit, quæ ex forma in priuationem, ac vicissim ex priuatione in formam mutari valeat, & pari ratione de magno aut perfecto in paruum vel imperfectum transire.

Substantiarum tum mortalium tum immortalium elementa,

Cum autem duplex sit id quod est, omne quod mutatur, ex eo quod est potentia, ad id quod est actu, mutatur, veluti ex potentia albo, ad actu album. Similiter fit & in

accretionem decretionemve. Quare non solum per accidens ex non ente fieri possunt, sed ex ente omnia fiunt, ex ente tamen potentia, ex non ente autem actu. Atque hoc est illud Anaxagoræ vnum. Melius enim hoc dicere, quam omnia simul esse. & Empedoclis item mixtum, atque Anaximandri, & ut Democritus inquit, Erant nobis potentia cuncta, non tamen actu. Quare hi omnes materiam tetigerunt.

Accidit  
Calliæ ne  
sit equus.

Ex vno cū-  
cta fieri po-  
tius dicēdū  
q̄ res ōnes  
simul esse.

Cum autem duplex sit ens, omne quod mutatur, ex eo quod est potentia, ad id quod est actu, mutatur. Quæ dicta sunt, quæq; dicentur, in physico auditu diligenter sunt disputata. hoc tamen in loco propter causas initio libri a nobis allegatas repetuntur. Cum ergo, inquit, duplex sit ens, id est ens potentia, & ens actu. aqua enim quæ actu est aqua, aer est potentia: quidquid mutatur, ex eo quod est potentia, in id transit, quod est actu. Neq; enim quæ fiunt, ea ex prorsus non ente efficiuntur. neque rursus quod est efficiuntur, sed ex eo quod partim est, partim secus. Materia enim ens est per se, non ens autem ob eam quam in se habet priuationem. Et Socrates est quidē ens, sed & non ens propter diuersitatem quæ in ipso habetur. nā cum sit diuersus ab equo, non ens est, propterea quod non est equus: ut intelligatur, quæcūq; fiūt, ea per se quidem ex ente fieri, per accidens tamē ex non ente: ut album ex non albo fit, quod non albū ut per se est ens, sic ex accidenti nō ens. accidit enim ipsi nō esse albo. simili cæterorum ratione. accidit enim aquæ, ne sit aer, & Calliæ ne sit equus. Nec enim solum, inquit, ex ente, quæ fiunt, efficiuntur, non ente tamen per accidens, sed licet etiam conuertenti dicere ex ente potentia, non ente actu. aqua enim ex qua gignitur aer, actu est non ens, quia nondū est aer. Itaque actu est non aer, siue non ens, potentia vero aer, id est ens. Cum sic ergo nobis significasset quid sit quod fit, mutaturq; ex forma in priuationem, & ex hac in illam, quod scilicet materiam esse docuit, addit (Atq; hoc est illud Anaxagoræ vnum) cuius sensus est huiusmodi. cum Anaxagoras res cunctas simul esse dicat, & vniuersum vnum, intellectum autem ab initio quodam hæc discernere fuisse exorsum, materiam se somniasse testatur, non tamen percepisse. ac idcirco de ipsa nō præcepit aperte. Satius ergo est, inquit, ex vno cuncta fieri affirmare, propterea quod vnum in omnia mutari valeat, & deinde hoc vnum materiam esse exponere, quam res omnes simul esse tradere. Quis enim cuncta simul esse audiens, hac voce intelligat materiam significari, quæ cuncta sit facultate? Ut igitur Anaxagoras, cum omnia simul esse diceret, materiam imaginabatur, non tamen cognoscebat, sic Empedocles cum hæc nostratia ex mistura facta esse traderet. Vocabat autem spherum misturam, materiam cum contingere nequiret, imaginabatur. quare dicturus ex materia, ex mistura hæc fieri dicebat. Quin etiam Democritus cum omnia simul esse potentia diceret, præ se ferebat subobscuram sibi inesse materiam intelligentiam. perinde est enim dicere, simul omnia esse potentia, ac si quiddam in nobis inesse dicas, quod omnia valeat.

Omnia vero quæ mutantur, materiam habent, tamen diuersam, & perpetuorum ea quæ non subeunt generationem, mobilia vero sunt latione, at non generabilem, sed subeuntem tantummodo lationem. Dubitauerit autem quispiam, ex quo non ente fit generatio. id enim quod non est, tribus dicitur modis. Si igitur quippiam est potentia, ex hoc utique generatio erit. verum non ex quouis, sed aliud ex alio fit. Neque sat est vniuersas res simul esse. differunt enim materia. nam cur infinita sunt orta, sed non vnum? mens enim est vna. Quare si materies esset vna, id nimirū actu fuisset ortum, materia cuius potentia esset. Tres igitur sunt causæ, triaq; principia rerum ortus. Duo quidē contraria, quorū alterū est ratio atq; forma, alterū priuatio, tertiū est materies ipsa.

Nō ens tri-  
fariā dicit.

Omnia vero quæ mutantur, materiam habent, tamen diuersam. Percontatus supra in propositis quæstionibus, sit ne omnium rerum vnū principium, vnumq; elementū, an plura: hoc in loco nō esse vnum ostendit, & rursus vnum esse demonstrabit. Ita omnium rerum vnum erit principium, & non vnum. quod cuiusmodi sit, in progressu dictionis declarabimus. omnia igitur sensibilia tum mortalia, tum immortalia materiam habent, sed diuersam. Nam caducarū rerum materia ex alia in aliam formam mutari potest, ut ipsam non inepte mortale voces. sempiternorū vero non est huiusmodi, sed quæ latione tantū moueri valeat. sol enim qui nunc est in aquario, paulo post erit in piscibus. (Dubitauerit autem quispiam, ex quo nō ente fit generatio) cōfuse admodū & indistincte, nullo ordine, nulla serie seruata, quæ in hoc libro traduntur, inducit. Idq; ob nihil aliud, q̄ propter obscuritatem, quam ab initio videtur affectasse. Nam cum supra dixisset, quæ fiunt, ea non solū ex ente fieri, sed etiam ex non ente, multis interiectis, nunc causam reddit, cum illic mentionē illorum nullam fecerit, in hunc maxime sensum locutus, non temere se illo in loco de his meminisse, sed necessario: quoniam cū non ens trifariā dicatur, vno modo quod falsum est, ut ens vicissim id quod verū, altero quod funditus nō est, tertio quod potentia nō est, quærat aliquis, horū non entium ex quo tandem efficitur generatio: hoc hæsitater sciscitatus respondet dicens. (si igitur quodpiam est potentia) id est, si quid est non ens potentia, ex eo generatio existit. q̄q̄ in respōsione hac nō nihil desiderat, credo, quia paulo ante de hoc aper-

te disputarat. Est autem, ut mihi quidem videtur, subaudiendum, actu non ens, potentia vero ens: ut solida oratio sit huiusmodi, si quid est ergo actu quidem non ens, potentia vero ens, ex eo generatio existet. quod exemplo apertius declarabitur. aqua est non ens aer, potentia est aer, non tamen ex quo; cuncti actu non ente, potentia vero ente, omnia generantur, sed homo ex humano semine, & mensibus muliebribus gignitur, oliua ex alio, ex alio vitis. Cū igitur, ut testati sumus, ex alijs alia fiant, nō satis est dicere quod Anaxagoras aiebat, omnia esse simul, id est materiam esse, ex qua cuncta efficiūtur, sed explicandum ei fuit, quales res ex quali materia generantur. Res enim nō forma tantum, sed materia etiam differunt, cum hominum materia sint carnes & ossa, statuæ æs, æris aqua, & alius itē alia. Nisi enim proximæ cuiusque materiæ infinitæ propemodum essent (exceptis enim simplicibus ex materia informi nihil efficitur) vnum esset vniuersum. Nam cum intellectus efficiens vnus sit, si proxima cuiusque materia esset vna, nimirum quod efficeretur, vnum esset. Quod enim ait (id nimirum actu fuisset ortum, materia cuius potentia est) pro eo dictum est, vnum efficeretur, non plura, quod poterat effici materia. Ut enim ex tritico, quod est spica potētia, sola spica generatur, nō vitis etiam & oliua: sic si materia esset vna, vnum esset generatum, nec id quodcunque, sed quod erat potentia. Hæc effatus, velut dictorum conclusionem infert. (Tres igitur sunt causæ, triaque principia.) materia scilicet, formaq; & priuatio.

Res nō forma tantum, sed materia etiam differunt.

Post hæc sciendum, neque materiam fieri, neq; formam. dico autem vltima. etenim quicquid mutatur, & ab aliquo, atque ad quippiam pergit. ab aliquo quidem, a primo mouente. Quid vero, est materies ipsa. ad quod autem mutatur, est ipsa forma. Igitur in infinitum abibitur, si non solum æs sit rotundum, sed etiam ipsum rotundum, aut æs ipsum. stetur ergo necesse est.

6 Deinceps neq; materiam, fieri neq; formam.) In hac dictione desideratur illud, demonstrare oportet, ut sit plena oratio huiusmodi. Deinceps neq; materiam fieri, neq; formam, demonstrare oportet. ac primam quidem, & informem materiam non generari, ipse in calce libri primi de physico auditu demonstrauit. Quod autem ne forma quidem gignitur, in sexto huius operis libro docuit. Et fortasse quoniam principia tria esse tradiderat, materiam formam & priuationem, apposite, fiant necne conquirat. quod strictim admodum demonstrat, propterea quod in libro sexto id latius explicarat. Commodum ergo, inquit, fuerit, materia & forma fiat necne, docere, & addit (vltima) quoniam humores quatuor, qui materia Socratis sunt, generantur illi quidem, non tamen extrema informisque materia sunt. Rursus caro forma quædam Socratis est, non tamen extrema, sed Socrates est extrema forma. Cum sic ergo statuit qualem & materiam & formam generari neget, propositum demonstrat, dicens. si non solum æs efficitur rotundum, sed etiam ipsum rotundum siue forma, absque fine procedetur. erit enim aliquid quod rotunditati subiiciatur. Nam quidquid fit, ex aliquo subiecto efficitur. Et rursus eadem ratione de rotunditatis subiecto quæretur, fiat, necne. si enim fit, aliquid est ei subiectum. quod quidem in infinitum progredietur. Rursus si fiat æs ex humida euaporatione, hæc ex aqua, aqua ex informi materia, & hæc item ex alio, progressus erit infinitus. quod fieri non posse, in primo libro minore huius operis demonstratum est.

Post hæc sciendum est, substantiam quanque ab eiusdem nominis rationisve substantia generari. ea nanque quæ natura sunt, substantiæ sunt, cæterave. Nam aut arte fiunt, aut natura, aut fortuna, aut & casu. Artem igitur principium in alio esse constat. At natura principium est in ipso. Generat enim hominem homo, reliquæ vero causæ priuationes sunt harum.

7 Ad hæc, substantiam quanque ex sibi cognomine generari.) Hoc quoque in loco subaudire oportet, confirmandum est. Post dicta ergo, inquit, confirmandum est, substantiam quanque ex sibi cognomine fieri. Nam efficienda, inquit, vel arte fiunt, vel natura. Vtroque autem modo ex sibi cognomine fiunt. Artificiosa enim ex sibi cognomine fieri, perspicuum est consideranti domum ex ea domus forma fieri, quæ in architecti anima inest: sanitatē huius corporis, ex forma & ratione quæ habetur in animo medici. Nam de rebus naturalibus ne dubitari quidem potest. homo enim ex homine, ex equo equus generatur. At quæ vel casu fiunt vel fortuitu, ea tū naturæ, tum artis quasi peccata videri debent. Cum autem efficienda vel arte fieri, vel natura dixisset, discrimen artis & naturæ id esse ait, quod ars est principium quod in efficiente inest, non in ipso quod efficitur, natura vero principium quod in eo quod fit, habetur. (generat enim hominem homo) Hæc verba coherent cum illis. (Ad hæc substantiam quanque ex sibi cognomine generari confirmandum est. generat enim hominē homo) Quod vero interiectum est, Nā quæ natura sunt substantiæ cæterave, æquipollet huic non solum quæ natura fiunt, sed etiā alia, id est quæ artibus subiiciuntur, sunt substantiæ. vel huic. Nā ut quæ natura fiunt, ea ex substantijs, id est ex sibi cognominibus gignuntur, sic itē alia, hoc est artificiosa. cuius signū est hominē ab homine generari. ut solida oratio ad hunc modū sese habeat. Ad hæc substantiam quanque ex sibi cognomine generari confirmandū est. nā quæ natura fiunt, substantiæ sunt, & itē alia. cuius

Substantiā quæq; ex sibi cognomine fieri.

Artis & naturæ discrimen.

signum est, quod homo ab homine generatur. (Reliquæ vero causæ) id est casus & fortuna (privati-  
ones sunt) id est errata & quasi peccata eorum quæ natura vel arte fiunt. Cæterum cum substantiam  
supra tripartito diuisisset, & substantiam videlicet sensibilem bipartito in mortalem & ingentam,  
quibus tertiam intelligibilem substantiam adiciebat, nunc iterum substantiam in tria partitur, ma-  
teriam, formam, & id quod ex utraq; constituitur.

Atq; substantiæ sunt tres. atq; alia est materies, quæ quidē hoc aliquid est, ex eo, quia  
apparet. quæ nāq; tactu, nō copulatione sunt vnum, ea materies sunt & subiectum. Alia  
est natura, quæ quidem hoc aliquid est, ac habitus quidam, ad quam per ipsam pergitur  
generationem. Tertia est ea, quæ ex hisce constat, ipsa inquam singularis, vt Socrates,  
aut Callias. In quibusdam igitur hoc aliquid non est, præter compositam ipsam substā-  
tiam (vt forma domus nisi ars ipsa) neque est corruptio horum ac generatio, sed alio  
modo sunt. atque non sunt ipsa domus, quæ sine materia est, atque sanitas, & omne id  
cuius ars est effectrix. sed si sunt, in iis sunt, quæ natura fiūt. Quapropter nō male dixit  
Plato, formas eorum esse quæ natura constant, si sint istorum aliæ formæ, vt ignis, ca-  
ro, caput, & quæ sunt similis generis. sunt enim vniuersa materies, & ipsa vltima substā-  
tiæ eius, quæ maxime substantia dicitur.

Substātiæ  
tres.

Nam substantiæ, inquit, tres sunt, atq; alia est materia, quæ quidem hoc aliquid est, ex eo, quia ap-  
paret. Sensus est, quoniam Socratis materia est carnes, nerui, ossa, manus, pedes, caput, & cætera, cū  
accumulata hæc & temere congesta intelligimus, nec cohærentia, & inter sese vnita, sed contingen-  
tia tantum inter ipsa more granorum tritici, quæ cumulum conficiunt, vt manus exempli causa, &  
splen atq; iecur in solo iaceant, super hæc caput & venter imponantur, tum his etiam superiora pes-  
des & intestina, cum hæc igitur quæ Socratis materia sunt, ad hunc modum cogitatione depingi-  
mus, tunc hoc aliquid sunt, quoniam sic videtur. Appellat autem hoc aliquid Socratem, vel omnino  
id animal, quod hæc partes conficerent, si in ordinem ac vnitatem cohærentiamq; a natura redigerē-  
tur. Manus igitur & pedes, caputq; & cæteræ partes indigestæ ac temere congestæ Socrates essent,  
quia sic videtur, id est secundum imaginationem. Imaginamur enim si natura potentiam sumeret, vt  
propositam materiam digereret, vniretq; fore vt Socrates efficeretur. Quæ cum fuerint vnitæ, & cō-  
positæ, ac in ordinem redactæ, nō item imaginatione, tunc huiusmodi materia erit Socrates, sed re-  
uera Socrates, vt verum sit dictu, hæc Socratem esse. Quæcumq; igitur materialia contactu sunt vnū,  
non autem cohærentia & vnione, ea sunt hoc aliquid imaginatione. Cui similis ratio in igne, aere, a-  
qua, terraq; intelligi debet. Cum enim tactu sunt vnum, non cohærentia & vnione, tūc imaginatio-  
ne sunt Socrates. cum vero a natura debellata alterantur, fiuntq; Socrates, tunc re vera Socrates sunt.  
vna igitur substantia est materia. (Alia rursus substantia est natura, quæ quidem hoc aliquid est, atq;  
habitus) Formam appellat naturam, & hoc aliquid, atq; habitum. hæc enim pro eodem sumuntur.  
(Ad quam) id est, ad quam naturam & formam generatio est. omnis enim generatio via est ad for-  
mam aliquam. Alia item substantia id esse intelligitur, quod ex materia & forma existit, vt Socrates,  
vel Callias. Sed postquam dixit (Tertia est ea quæ ex hisce cōstat, ipsa inquam singularis, vt Socra-  
tes, aut Callias) in quibusdam perspicuum esse ait non esse formas siue ideas ipsorum singulorum,  
quod ipsis etiam idearum assertoribus visum est, qui artificiosorum ideas esse negabāt, sed naturaliū.  
In quibusdā igitur non sunt ideas. Neq; enim domus neq; ferræ neq; statuæ forma est siue idea: nisi  
siquis artes quibus hæc fiunt, ideas esse dicat. Formæ igitur artificiosorum nō sunt in subsistentia, sed  
intelligentia tantum & cogitatione. quamobrem neq; per generationem & temporaneum spatium  
aut omnino per aliquam subiecti mutationē illis esse suppeditatur, neq; per interitum nō esse. Hoc  
enim est quod ait (neq; est corruptio horum ac generatio, sed alio modo sunt, atq; non sunt) id est,  
citra generationem sunt, & absq; interitu non sunt, more contactuum. Nam cum domus formam  
imaginamur, huiusmodi forma est non per generationem, cum nullo alterato talis forma generetur,  
sed in momento punctoq; temporis. Nam visum ipsius in puncto temporis fuit effectum. Eadem cū  
ipsam animo videre, cogitatione non depingimus, non est, quoniam ipsum non imaginari momen-  
to temporis efficitur. Domum porro atq; sanitatem expertem ait esse materiæ, formam ipsam do-  
mus & sanitatis significans, quæ forma nostra in imaginatione inest. Quare non perperam, inquit,  
Plato negauit artificiosorum esse formas, sed naturalium. Nam omnino si formæ sunt, eorum sunt  
quæ natura consistunt, non quæ ab arte conficiuntur. Nam quod ait (ab his diuersæ) significat id, re-  
rum naturalium erunt formæ, quæ ab his, id est a nostratibus ac sensibilibus diuersæ sunt. Quod ve-  
ro sequitur (vt ignis, caro, caput, sunt enim vniuersa materies, & ipsa vltima substātiæ eius quæ ma-  
xime substantia dicitur.) cum proxime dictis neque cohæret, neque conuenit, sed cum eo quod su-  
pra dictum est, congruere videtur. (Quæ nanq; tactu non copulatione sunt vnum, ea materies sunt,  
& subiectum.) vt sit huiusmodi dictorum series continuata. Quæ nanque tactu non copulatione  
sunt vnū, ea materies sunt atque subiectum: vt ignis, caro, caput. sunt enim vniuersa materies, & ipsa

Hoc aliqd  
esse quædā  
imaginati-  
one.

Forma hoc  
aliquid est.

Artificio-  
rū non esse  
formas, sed  
naturalium.

ultima substantiæ eius quæ maxime substantia dicitur) deinde (alia est natura quæ quidem hoc ali-  
quid est) &c. Appellat autem maxime substantiam, substantiam indiuiduam, vt Socratem, aut  
Calliam. huiusmodi enim substantiæ materia est ignis. Sed potissimum materia eius est ultima, id  
est proxima, continensq; materia, velut caro, nerui, ossa.

Maxime  
substantia,  
substantia  
indiuidua.

Mouentes igitur causæ antecedunt. At hæ quæ sunt vt ratio causæ, simul sunt. Cum  
enim homo est sanus, tunc & sanitas est. Figura etiam æneæ pilæ, & ipsa ænea pila sunt  
simul. Si vero & posterius quippiam permanet, cōsiderare oportet. in quibusdam enim  
nihil prohibere videtur, veluti si anima tale sit, non omnis, sed mens ipsa. Vt enim o-  
mnis permaneat anima, fieri fortasse non potest. Patet igitur ideas ob hæc esse nõ opor-  
tere. homo nanq; singularis hominem generat singularem. Similiter & in artibus fieri  
solet. Ars enim medendi, ipsa ratio est sanitatis.

9 Mouentes igitur causæ antecedunt.) Hoc quoq; peculiariter ad causarum quæstionem pertinet,  
cuius sensus est. Mouentes, id est efficientes causæ, priores tēpore sunt, quàm ea quæ fiunt. Sophro-  
niscus enim Socrate prior est, atq; ædibus ædificator. quāquam dictio subobscura est. (Mouentia igi-  
tur, inquit, vt præeffecta entia) entia dixit pro existentia, vt sit sensus. efficientes causæ existunt, &  
rationem habent priorem tempore ad ea quæ efficiuntur. Causæ vero formales simul sunt. Nam si-  
mul atq; æneus globus est, rotunditas est, quæ globi est forma. Item simul atq; sanus est, sanitas ha-  
betur, quæ habitus quidam est, & forma. Causas igitur formales simul esse cum ijs quorum causæ  
sunt, certum est. Cæterum, inquit, vtrum formæ separatae maneant, & post separationem persistant,  
nec abeant in nihilum, magna quæstio est. in quibusdam tamen nihil prohibet. Nam cum animan-  
tium anima sit forma, nihil obstat quo minus anima quæpiam vt intellectus siue anima rationis cō-  
pos maneat. Expertes enim rationis mortales sunt. quāobrē adiecit (fortasse) Cum igitur omniū re-  
rum causæ manifestæ sint, superuacanea est idearum inductio ad harum generationē. Socrates enim  
e Sophronisco generatur, ex Aristotele Plato. pari artificiosorū ratione. Valetudo enim ab arte me-  
dica fit, quæ quidem est ratio & forma valetudinis.

Efficientes  
causæ, prio-  
res tēpore  
sunt, for-  
males si-  
mul sunt.

Causæ autem atq; principia, tum aliorum, tum eadem omnium sunt, si quispiā vni-  
uersaliter dicat, & similitudine rationis.

10 Causæ autem & principia aliorum alia sunt.) Iam nunc quæstionem soluit, qua vtrum causæ &  
principia omnium rerum eadem necne sint, quærebatur. quodammodo ergo, inquit, eadem initia  
sunt, alias diuersa. Nam vniuersaliter, id est, vt ipse exponit, secundum proportionem, eadem om-  
nium sunt. cum enim cunctorum efficiendorum principia sint materia, forma & priuatio, & omnia  
efficienda materiæ & formæ atque priuationi sint subiecta, efficitur vt in vniuersum omniū eadem  
habeantur initia. Causæ enim cuiusque sunt materia, forma, & priuatio. statuat nanque materia æs  
est, forma talis figura, priuatio eius formæ, qua vacat, velut equinæ. Item ianuæ materia est lignū,  
forma huiusmodi figura, priuatio exempli gratia formæ quadrantal. Itaque in vniuersum, & se-  
cundum proportionem eadem omnium initia sunt, id est materia, forma, & priuatio. Vt enim æs  
ad statuam, sic lignum se habet ad ianuam. At si ad proxima & coordinata respicias, diuersa sunt.  
Alia est enim statuat materia, alia ianuæ, Socratis, alia. Eadem est formæ priuationisque ratio. Alia  
nanque est tum forma, tum etiam priuatio statuat, alia ianuæ, alia Socratis. quod ipsum de causa  
efficiente constituendum est. Nam cunctorum efficiendorum in vniuersum causa efficiens est quid-  
dam velut mouens, proximæ vero diuersæ sunt. Socratis enim Sophroniscus, statuat statuarius cau-  
sa efficiens est. Rogatus ergo vtrum cunctorum causæ initiaque eadem ne sint, an diuersa, commo-  
de responderis, tum eadem esse, tum diuersa. Ad vniuersum spectanti, eadem: ad proxima quæq; di-  
uersa. Sed cum causas & initia aliorum alia esse dixisset, vt se non temere in hanc mentionem de-  
scendisse doceret, adiecit.

Causæ rei  
cuiusque  
sunt.

Dubitauerit autem quispiam, vtrum diuersa, an eadem sint substantiarum elemen-  
ta, principiaque, & eorum quæ sunt ad aliquid: cæterorum prædicamentorum simi-  
li modo. At absurdum esse videtur, si eadem omnium sunt. Ex eisdem enim & ea quæ  
sunt ad aliquid, & substantiæ ipsæ constabunt. Quid igitur hoc erit? præter enim substā-  
tiam, cæteraque prædicamenta, nihil est prorsus, quod sit ipsis commune. Elementum  
autem prius est hisce, quorum est elementum. At neque etiam substantia elementum  
est horum quæ sunt ad aliquid, neq; quicquam etiam istorum est substantiæ elementū.  
Præterea quomodo eadem possunt esse omnia elementa? Fieri enim non potest vt ele-  
mentorum quicquam sit idem, quod id quod ex elementis componitur. nam vt b aut a  
sit idem quod ba, minime fieri potest.

Nō omniū  
rerū idem  
esse elemē-  
tum.

Elementa  
ab his di-  
uerſa ſunt,  
quæ ex ip-  
ſis cōſtitu-  
untur.

Dubitauerit autem quiſpiam, vtrum diuerſa an eadem ſint ſubſtantiarum elementa principiæq; & eorum quæ ſunt ad aliquid, cæterorumq; prædicamentorum ſimili modo.) Et proprie quidem, ac ſi ad proxima quæq; ſpectetur, non eadem eſſe confirmat: quandoquidem abſurdum, inquit, eſt dictu omnium rerum idem eſſe elementum, quod ex partitione demonſtrat. Nam ſi vnum eſt cun-ctarum rerum elementum, hoc vel diuerſum eſt a cunctis prædicamentis, vel vnum ex ipſis cætero- rum eſt elementum. Non eſſe autem a decem prædicamentis diuerſum, in promptu eſt intelligere. Nam cum elementa priora ijs ſint, quorum elementa eſſe dicuntur, id eſt ijs quæ ex elementis con- ſtituuntur: ſi idem eſt elementum decem generum generaliffimorum, ſubſtantia, quanti, qualis, & cæterorum, id profecto prius illis habebitur. at ſubſtantia & cæteris prædicamentis nihil eſt prius, atq; adeo præter ipſa nihil eſt. non igitur cunctorum eſt vnum elementum. Sed ne ſubſtantia quidē relatiuorum aliorumq; prædicamentorum elementum eſt. Nam qui fieri poteſt, vt ex ſubſtantia fiat non ſubſtantia, cum ex ſubſtantia ſemper ſubſtantia generetur? Neq; ruruſ relatiua ſubſtantia ſunt elementa: niſi forte putamus, id quod fieri non poteſt, ex accidēti ſubſtantiam generari. Quod vero ait (Præterea quomodo eadem poſſunt eſſe omnium elementa: fieri enim nō poteſt, vt elementorū quidquam ſit idem, quod id quod ex elementis componitur.) argumētatio eadem eſt quæ ſuperior, licet alia via procedat. Illic enim elementum prius eſſe dicebat, quàm ex elementis conſtituta, hic ab eiſdem eſſe diuerſum. Neq; enim Socrates, qui ex igne & terra & interiectis elementis conſtat, idē eſt, quod ignis & terra, ſed his diuerſus. Si ergo elementa diuerſa ijs ſunt quorū ſunt elementa, ac decem prædicamentorum vnum & idem eſt elementum, fiet vt ipſum diuerſum ſit omnibus decem prædicamentis. præter autem decem prædicamenta nihil eſt. non eſt igitur omnium vnum elemē- tum. porro elementa diuerſa ijs eſſe, quæ ex ipſis velut conſtantur, inductione confirmat. Nam b, in- quit, cum ſit ba ſyllabæ elementum, ab ipſa diuerſum eſt.

Neque igitur fieri poteſt, vt elementorum intelligibilium quicquam, ceu ipſum v- num, aut ipſum ens, elementa omnium ſint. Hæc enim vnicuiq; compoſitorum etiam inſunt. Eorum quoque ipſorum nullum erit, neq; ſubſtantia, neq; ad aliquid. At neceſſa- rium eſt. Non ſunt ergo omnium eadem elementa. An, vti diximus, tum ſunt, tum non ſunt? veluti corporum forſitan ſenſibilium, calidum quidem eſt vt forma, frigidum au- tem alio modo priuatio eſt. & materies id quod hæc eſt potentia primum per ſe. & ſub- ſtantia aut hæc ſunt, & ea quæ ex hiſce conſtant, quorum hæc principia ſunt: aut ſi quid ex calido frigidoque ſit vnum, vt caro, vel os: id quod inde emergit, diuerſum ab illis eſſe neceſſe eſt. Horum igitur eadem ſunt elemēta principiæ. Alia vero ſunt alio- rum. Atque omnium hoc quidem pacto principia dicere non poſſumus eadem eſſe, ſimilitudine vero rationis dicere poſſumus, perinde atq; ſi quiſpiā dixerit tria principia eſſe, formam, priuationem, atque materiam. Verum vnumquodque iſtorum circa vnū- quodque genus diuerſum eſt, vt in colore album, nigrum, ſuperficies: lumen, tenebræ, aer, ex his autem dies emergit & nox. Cum autem non ſolum ea quæ inſunt, ſint cau- ſæ, ſed etiam ea quæ ſunt extra, veluti ipſum mouens: patet principium ac elemen- tum diuerſa eſſe, vtrunque vero cauſam eſſe, atque in hæc principium ipſum diuidi, & id quod mouet, principium quoddam eſſe. Quare tria quidem ſunt elementa ſimilitu- dine rationis: cauſæ vero atque principia quatuor. Aliud autem eſt in alio: & prima cau- ſa vti mouens, alij alia eſt. ſanitas, morbus, corpus: id quod mouet, medendi facultas eſt: forma, inordinatio talis, lateres: id quod mouet, ars eſt extruendæ domus: atque in hæc principium ipſum diffunditur.

Neq; igitur fieri poteſt, vt elementorum intelligibilium quidq; ceu ipſum vnum, aut ipſum ens 12 elementa omnium ſint.) Quæ vocet elemēta intelligibilia, ipſe declarauit, vnū ſcilicet & ens. fieri er- go, inquit, non poteſt, vt ens & vnum ſint cunctorum elemēta. quod arguit innixus eo quaſi funda- mēto, quod modo iactū eſt, elementa ſcilicet diuerſa ijs eſſe, quæ cōſtituuntur ex ipſis. Si ergo, inquit vnum & ens ſunt omniū rerum elementa, omnia ab vno & ente diuerſa fuerint. ſed vt ex igne terraq; conſtitutū, neq; ignis eſt, neq; terra, ſic quod ex ente & vno conſtiterit, neq; ens erit, neq; vnū. Itaq; ſubſtantia, quantum, quale, & cætera prædicamenta erunt non entia, & non vnū. quod quidem fieri nō poteſt, ac proinde id falſum eſt, vnde hoc concluditur, vnū ſcilicet & ens cunctorū rerum eſſe ele- menta. Vbi vero ait, (Hæc enim vnicuiq; cōpoſitorum etiam inſunt) Subaudiendū eſt, ſimpliciū: vt ſit plena oratio: hæc enim vnū & ens vnicuiq; ſimpliciū & compoſitorū inſunt. Quod vero ait (Eo- rum quoq; ipſorum nullum erit, neq; ſubſtantia, neq; ad aliquid) huiuſmodi eſt, ipſorū, id eſt eorum quæ ex ente elemento & vno fuerint cōſtituta, nullū erit, id eſt, ea nullo modo fuerint, nec ſubſiſten- tiam quampiā habebunt. Nā, vt diximus, quæadmodū quod ex igne & terra cōſtat, id neq; ignis eſt,



neq; terra, sic quod ex vno & ente confiterit, neq; vnum erit, neq; ens, sed non vnum, & non ens. Illud vero (neq; substantia, neq; ad aliquid) pro eo accipi potest. Neq; substantia erit ens, neq; ipsum ad aliquid. Potest & idem aliter exponi ad hunc modum. Si quis ergo ens elementum esse dicat, cum elementum diuersum ijs sit quæ existunt ex ipso, vel ipsum erit non ens, vel certe quæ ex ipso constituantur. fieri enim non potest vt ens siue elementum sit ens, & quæ ex ipso consistunt, entia. Sin autem substantia cuius elementum esse videatur, aut ipsa non erit substantia, aut certe quæ existunt ex ipsa, vt Socrates, Plato, & cætera. Pari ratione si elementum sit ex ijs quæ ad aliquid referuntur, ad aliquid erit non ad aliquid. & concludit dicens, nõ igitur omnium eadem elementa initiaq; sunt, sed quodammodo eadem, alias diuersa. In eo enim quod materia forma priuatio efficiens elementa sunt, & his omnia subiunguntur, principia cunctorum eadem sunt. In eo vero quod alia est statum materia, alia animalis, & pari ratione alia forma & efficiens statum, & aliorum alia, diuersa, non eadem sunt omnium rerum initia. Ad vniuersalia igitur, formam dico & materiam & reliqua spectanti, eadem omnium initia sunt: ad ea vero quæ simul ordinantur, diuersa sunt, non eadem. Omnia igitur materia, formæ, priuationi ac efficienti subiungi, inductione quadam ostendit. Nam sensibilem, inquit, corporum forsitan, id est, exempli causa, vt forma est calidum, vt priuatio vero frigidum: materia porro, quod calidum vel frigidum effici potest. (Per se) autem adiectum est, quoniam album frigidum fieri dicitur, non tamen per se: sed id per se frigidum efficitur, quod est albo subiectum. Calidum igitur est forma, frigidum priuatio, materia vero quod est vtrunq; potentia. Sunt autem substantie tum calidum, nam calidum est forma & substantia ignis, tum etiam materia. Nec solum hæc substantie sunt, sed etiã quod ex calido efficitur & frigidum, hoc est ex igne & aqua, siue caro id sit, siue os, siue aliquid aliud. Quod vero ait (id enim quod efficitur, diuersum ab illis esse necesse est) nequaquam cum proxime dictis cohærescit, sed cum illo potius quod paulo ante dictum est. (Nullum igitur ipsorum erit, neq; substantia neq; ad aliquid) vt hoc ad confirmandum pertineat substantiam non esse substantiam, neq; ad aliquid ad aliquid. Necesse est enim vt diuersum id sit, quod efficitur. Nã vt dictum est, quod ex elemento fit, diuersum est ab elementis. Horum igitur, id est, proxime dictorum calidum est forma, frigidum velut priuatio, quod vero vtrunq; valet, est materia, lumen vt forma, tenebræ vt priuatio. Atq; ex aere & lumine, id est ex materia & forma dies efficitur: ex aere & tenebris, hoc est ex materia & priuatione nox. Itaq; ad hunc modum, id est secundum proportionem, omnium, vt diximus, eadem initia sunt, proprie non item. Sed quoniam, inquit, non modo nobis coordinata ac insita causæ sunt, sed etiam externum, hoc est mouens, siue efficiens, satis intelligitur initium diuersum esse ab elemento: quandoquidem initium latius patet quàm elementum. elementum namq; initium est: non tamen omne initium est elementum, vt in patre licet considerare, qui principium recte nuncupatur, non item elementum. Ac initium quidem velut vniuersalius in hæc tanq; particularia distribuitur, materiam dico, formam, priuationem, & efficiens. Porro si in hæc diuiditur initium, haud dubie mouens & sistens, hoc est, efficiens, initium quoddam esse videri debet. Vt intelligatur elementa quæcunq; reperiuntur, tria omnino esse proportionem, materiam, formam, & priuationem. initia vero & causas quatuor, materiam, formam, priuationem, & efficiens. quæ quidem quatuor alia in alijs reperiuntur. Exempli causa in animalibus corpus est tanquam materia, valetudo quasi forma, morbus velut priuatio, medicina tanquam efficiens. Rursus domus quasi forma, quasi priuatio confusio talis, lateres ceu materia, velut efficiens cementarius faber. Cunctorum igitur initia sunt materia, forma, priuatio, & efficiens, sed aliorum alia.

Atqui cum id quod mouet, in naturalibus quidem hominibus homo sit, in ijs autem quæ a mente proficiscuntur, forma sit, aut contrarium, tum tres, tum quatuor causæ erunt. Medendi namq; scientia, sanitas quodammodo est: & ædificandi facultas, ædium forma. hominem quoque generat homo. insuper præter hæc est id quod est omnium primum, omnia mouens.

13 Atqui cum id quod mouet, in naturalibus quidem hominibus homo.) Naturales homines dicit propter ipsum hominem. ille enim nõ est naturalis. Repetit autem hoc in loco id quod in Physico auditu tradiderat, plerunq; scilicet vsu venire, vt causa efficiens & formalis eadem habeatur. Sophroniscus enim & Socrates licet numero sint diuersi, specie tamen idem sunt. Item valetudo, quæ habetur in corpore, & effectrix eius medicina, eadem sunt specie. Ars enim quam medicinam dicimus, sanitatis est ratio. similiter domus, & ars ædificandi. Itaq; efficiens & formalis causa non quidem omnis, sed aliqua cum numero duo sit, vnum tantum est specie. quo fit, vt causæ quodammodo tres, quodammodo quatuor habeantur. (Insuper præter hæc est id, quod est omnium primum) quod quidem principium est id, quod per hanc doctrinam inuestigamus.

Rerum omnium initia secundum proportionem eadem sunt, proprie non item.

Naturales homines. Causa efficiens & formalis plerunq; eadem.

At vero cum alia sint separabilia, alia non separabilia, substantiæ sunt illa: & iccirco causæ omnium sunt hæc, quia sine substantijs affectus motusque non sunt. Deinde hæc erunt anima forsitan atq; corpus, aut mens, aut appetitus, ac corpus.

Substantia-  
rum initia,  
causae sunt  
vt acciden-  
tia sunt.

At vero cum alia sint separabilia, alia non separabilia, substantiae sunt illa. His verbis docet eadem esse substantiarum consistendi principia, & causas, quae accidentium. Nam cum rerum, inquit, alia sint separabiles & per se consistentes, velut substantiae, quaedam inseparabiles, & quae per se consistere nequeunt, sed in alijs esse habent, vt accidentia, illa, id est quae separata sunt, & per se consistunt, substantiae sunt (& propter hoc omnium causarum haec) id est, propterea substantiarum initia sunt omnium rerum existendi causarum. Cuius rationem paucis reddit, dicens. (quia sine substantijs affectus motusque non sunt.) Nam cum substantiarum initia causarum substantiae sint, habeantur, rursus ipsae substantiae, cur sint accidentia, satis intelligitur substantiarum initia causas esse quamobrem sint accidentia. Deinde docet quae sint proximae animantium causarum existendi. haec enim, inquit, forsitan sunt anima & corpus, vt in stirpibus: vel intellectus & corpus, atque appetitus, vt in hominibus: vel corpus & appetitus, vt in bestijs licet animaduertere.

Præterea principia sunt eadem alio modo similitudine rationis, vt actus atque potentia. at hæc, & alia sunt alijs, atque alio modo. In quibusdam enim idem interdum est actu, interdum potentia, vt vinum vel caro, vel homo. Cadunt autem & hæc in causas iam prædictas. forma enim si separabilis est, actu est, & id quod ex vtrisque constat. priuatio vero, vt tenebrae, aut ægrotans. materies autem est potentia. hoc est enim id quod vtrunque fieri potest.

Potentia &  
actus quo-  
modo prin-  
cipia sunt.

Præterea principia sunt eadem alio modo similitudine rationis. Cum omnium rerum principia materiam, formam, priuationem atque efficiens esse dixisset, quae ratione quidem eadem, proprie vero diuersa sint, quoniam potentia & actus principia sunt (ex eo enim quod hoc est actu, illud vero potentia, efficienda gignuntur. hæc enim natura, vt ipse in Physico auditu tradidit, perspecta, quæstionem omnem exsoluit) ait, quod quemadmodum in omni re materiam, formam, efficiens & priuationem conspicientes, omnium rerum eadem esse principia dicimus, sic item in re omni potentiam & actum contuentibus secundum vniuersalem potentiam & vniuersalem actum, quibus nativæ quæque subijciuntur, eadem esse omnium initia affirmare licet, quæ diuersa sunt, si ad potentiam & actum spectes, quæ in singulis rebus habentur. Itaque modo materiam & formam ac cetera respicientes, rerum omnium principia vel eadem esse dicimus, vel diuersa: modo potentiae atque actus habita ratione. Alio igitur præterea modo, inquit, & secundum aliam proportionem initia eadem sunt, non scilicet formæ materięque, & cæterorum, sed actus atque potentiae ratione. At potentia & actus alijs alijs adsunt, atque alio modo. Idem enim quibusdam adest modo actu, modo potentia. Valetudo enim Socrati tum actu adest, tum facultate. Nam recte valenti Socrati sanitas actu adest, morbus potentia, ægrotanti contra. Itaque valetudo iam his adest, vt Socrati & Platoni, iam illis, vt Achilli & Alcibiadi. sed & diuersis modis. nunc enim potentia, nunc vero actu. Illud autem (vt vinum, vel caro, vel homo) exempla sunt eius quod modo est actu, tum potentia. humor enim qui nunc actu est vinum, idem potentia est acetum. ac vicissim qui nunc est actu acetum, potentia vinum est. cui similis est cæterorum duorum ratio. Porro vt in his sese res habet, sic in omnibus. Cæterum potentia, inquit, & actus, eorumque subiectum sub eas quæ commemoratae sunt causas cadere, hoc est ad eas referri ait, id est, ad materiam, formam, & priuationem. Actus enim formam emulatur, ac vicissim actum forma, potentia priuationem, hæc rursus potentiam, ipsorum vero subiectum materiae similitudinem habet. Ac sensum quidem diætorum huiusmodi esse reor. Quod vero ad dictionem attinet, huiusmodi est. (forma enim actus est) id est, formæ æmulus est actus, & huius æmula forma. (si separabilis est) id est mente & cogitatione separabilis. siquidem formæ materiales cogitatione tantum a materia discernuntur. (& id quod ex vtrisque constat) id est, non solum forma est actu, sed id etiam quod ex materia & forma consistit. vel illud, (forma enim si est separabilis) pro lumine dictum est, quasi dicat, actus, siue lumen separabile. singulis enim diebus ab aeris perspicuo separatur. ex ambobus vero dicitur diem qui ex lumine & ex perspicuo illustrato fit. pro lumine autem quod separabile vocat, actum dixisse, argumento est quod ait, (priuatio vero vt tenebrae.)

Actus for-  
mæ æmu-  
latur, & cõ-  
trâ.

Alio vero modo potentia atque actu differunt ea quorum non est eadem materies, quorum forma non est eadem, sed diuersa: quemadmodum hominis causa sunt elementa, ignis, & terra, vt materiae, & propria forma, & siquid aliud est extra, vt patet, & præter hæc Sol, orbisque obliquus, quæ quidem neque materia sunt, neque forma, neque priuatio, neque speciei eiusdem, sed mouentia.

Homo &  
Sol homi-  
nem gene-  
rant.

Alio vero modo potentia atque actu differunt ea, quorum non est eadem materies, quorumque forma non est eadem. Cum homo generet hominem atque item Sol, & vterque Sol inquam & Sophroniscus exempli gratia, causarum sint Socratis efficientes, Sophronisci materia, carnes, ossa, & nerui & similiter forma, & actus eius nihil ratione differunt a materia & forma Socratis. Carnes enim & nerui, vtriusque materiae sunt. & pari ratione formæ eadem sunt, nec nisi priore & posteriore discrepant. Nam materia & forma Sophronisci quam Socratis priores natura sunt. Solis autem materia

& forma non tempore tantum materia & forma Sophronisci priores sunt, sed etiam ratione. Materia enim Sophronisci est caro, Solis non item, sed quintum corpus. Nam Solis formam a forma Sophronisci diuersam esse, nemini dubium esse debet. Hæc itaq; innuit verbis illis (alio vero modo potentia atq; actu ea differunt, quorum non est eadem materies, & quorum non est eadem forma.) quanquam dictio manca est & imperfecta, quæ plena esset, si ad hunc modum sese haberet. (Alio modo potentia atq; actu ea quorum non est eadem materies, nec eadem forma, differunt ab ijs quorum non est eadem forma, neq; eadem materia.) est autem sensus. Cum Socratis efficiens causa sit non solum Sophroniscus, sed etiam sol & circulus obliquus, actus & forma Solis atq; obliqui circuli differt ab actu & forma Sophronisci & Socratis. cui similis est potentiarum siue materiarum quæ in ipsis habetur, ratio. cuius causam suggestit, dicens (quæ quidem neq; materia sunt, neq; forma, neq; priuatio) quasi dicat. Nam materia & forma Sophronisci eadem sunt quæ Socratis materia & forma, ac similiter priuatio. vterq; enim priuationem humanæ formæ oppositam habet. Solis autem & obliqui circuli forma materiaq; non sunt eadem, quæ Sophronisci & Socratis. Quorum igitur actus & potentia differunt a materia & actu Sophronisci & Socratis, ea, Sol scilicet & obliquus circulus, diuersa sunt a Sophronisco & Socrate, quorum forma & materia non est eadem, quæ Solis & obliqui circuli materia & forma. quod si Sol & obliquus circulus a Sophronisco & Socrate differunt, nimirum retro quoq; agere licet, vt Solis & obliqui circuli actus & potentia a Sophronisci & Socratis actu & potentia differre intelligantur.

Socratis ac Sophronisci eadem materia & forma sūt.

Præterea cernere oportet causarum alias vniuersales, alias non vniuersales dici posse. Omnium igitur prima principia sunt, id quod actu primū est hoc, & aliud quod potentia est. Atque illa quidem vniuersalia non sunt. Singulare nanq; singularium principium est. homo & hominis est vniuersalis: at nemo est prorsus: sed Peleus quidem Achillis, tui vero principium pater est: & hoc b, huiusce ba. omnino autem b ipsius simpliciter ba. Deinde iam ea quæ sunt substantiarum, alia vero sunt aliorum causæ & elementa, vt dictum est, eorum quæ genere in eodem non sunt, colorum, sonorum, substantiarum, quantitatis, nisi similitudine rationis. Eorum etiam quæ eadem in specie, diuersa sunt, non specie, sed quia singulorum, tua inquam materies, forma, & id quod mouet, & mea. vniuersali vero ratione, sunt eadem.

- 17 Præterea cernere oportet causarum alias vniuersales, alias non vniuersales dici posse.) Sensus est, causarum quasdam vniuersales appellare licet, alias non item, quoniam statuæ vniuersalis, statuariū vniuersalem causam esse dicimus, huius vero statuæ hunc statuariū. quo posito, omnium igitur, inquit, principia prima, id est proxima, est primum hoc, id est particulare. hoc enim est principium & causa Socratis, hic scilicet Sophroniscus. omnium igitur principium est hic actus, & hoc particulare potentia, id est hæc particularis materia. Nam singulorum causa singularis est, vt Achillis Peleus, & hæc litera b huius syllabæ ba. vniuersalia enim non sunt. At si vniuersalia essent in existētia & per se, causæ quoq; ipsorum vniuersales essent, vt si homo vniuersalis esset, hominis causa de vniuersalium numero haberetur, & vniuersalē siue vniuersalis ba syllabæ, vniuersale b. sed nullum vniuersale per se consistit. Cæterum præter commemoratas causas, aliæ causæ, aliaq; principia sunt, quæ quidem sunt formæ substantiarum: aliorum tamen, vt docuimus, aliæ: quandoquidem hominū aliæ sunt, quàm equorum formæ. Neq; vero tantum diuersorum generum causæ diuersæ sunt, sed eorum etiam quæ similem speciem sortiuntur, sunt diuersæ, sed numero dūtaxat. Numero enim alia est tua materia, alia mea, atq; item forma, & efficiēs. vniuersali vero ratione eadem, id est, quatenus omnes causæ ad materiam, formam, priuationem, & efficiens referuntur, causæ omnium eadem sunt. diuersæ autem, qua mei causæ a causis tui discrepant.

Vniuersale nullū per se consistit.

Si quærat autem quænam principia sint aut elementa substantiarum, & eorū quæ sunt ad aliquid, & qualium, vtrum sint eadem, an diuersa, patet respondendum esse cuiusque eadem esse, si vniuersaliter dicantur: non eadem, sed diuersa, si diuidantur: attamen hoc pacto & eadem omnium esse. Atq; hoc pacto eadem similitudine rationis, propterea quod materies est forma, priuatio id quod mouet: & hoc etiam pacto substantiarum causas omnium causas esse. quod si tollantur, tolluntur.

- 18 Si ergo quærat autem quænam principia sint aut elementa substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, & qualium.) His verbis docet nos, quid respondere debeamus, si quis a nobis sciscitetur, vtrum omnium causæ atq; initia eadem necne sint, & ait, Si multipliciter dicatur) id est, si vniuersaliter, siue si materia capiatur vt vniuersale, atq; item forma & efficiens, & omnino secundum proportionē, non autem vt huius aut illius. (Sunt vniuersaliter) id est omnium eadem sunt. si autē forma vniuersalis diuidatur, similiter vniuersalis materia, & reliqua, in Socratis & Platonis cæterorūq; causas, non sunt eadem, sed diuersa. (Attamen hoc pacto) id est, proportionē eadem sunt. quod exponēs apertif-

si me sermonem repetit, aitq; (atq; hoc pacto eadē similitudine rationis, propterea quòd materies & forma & priuatio & id quod mouet) quasi dicat, quoniam cuncta sub materiam, formam, & priuationem cadūt, idcirco principia omnium eadem proportione sunt. Quod vero ait, (Et hoc etiam pacto substantiarum causas omnium causas esse.) huiusmodi est. si quis porro nos percontetur, an substantiarum causæ, accidentium quoq; causæ sint, etiam est nobis respondendum, & suggerenda causa, quoniam sublati substantijs, cætera quoq; tolluntur. quod secum autem tollit, causa eius est quod simul tollitur. sed de his paulo ante accuratius differuimus.

Insuper id quod primum, est actus. Hoc autem pacto diuersa prima esse, quot sunt contraria ipsa, quæ neq; vt genera dicuntur, neq; multipliciter dicuntur, & insuper materias ipsas. Quæ igitur sensibilibus rerum principia sunt, & quot, atque quo pacto, & eadem sunt, & diuersa, satis iam diximus.

Insuper quod primum est actus.) Præterea inquit vtrum remotius, an propius causa sit interrogati, primum, id est proximū respondere debemus. est autem Socratis, vt sæpe diximus, proxima causa actusq; Sophroniscus. (hoc autem pacto diuersa prima, quot sunt contraria) id est, alio modo dicendum est contraria, hoc est formam & priuationem primas causas esse. vt sit dictorum sensus. quandoq; actus siue efficiens prima causa esse dici debet, quandoq; contraria, id est, forma & priuatio: quæ quidem contraria neq; vt genera inquit dicuntur, id est vt materia, neq; multipliciter, id est vt vniuersale, sed quasi coordinata. In dictione autem quæ ait, (Prima quot sunt contraria) illud (quod) vacat. Præterea, inquit, alio modo causæ dicuntur ipsæ materiæ. & concludit dicens. Dictum igitur est, quæ sensibilibus rerum principia sunt, formam scilicet & materiam & reliqua. & quot, tum scilicet tres, tum quatuor. atq; quo pacto eadem sunt, proportione videlicet, atq; ratione. & quomodo diuersa, utiq; vt proxima quæq; considerantur. 19

Cum autē tres sint substantiæ, duæ quidē naturales, vna vero immobilis, de hac deinceps dicendum esse videtur. Necessè est itaq; perpetuam aliquam substantiam immobilem esse. substantiæ namq; omnia cætera quæ sunt, antecedunt. Atq; si omnes sunt corruptibiles, vniuersa profecto corruptibilia sunt. At impossibile est motum, aut ortum, aut corruptionē subire. semper enim erat, & tempus simili modo. est enim impossibile si tempus non sit, prius aut posterius esse. & motus ergo perinde cōtinuus est, vt & tempus. etenim tempus aut est idē quod motus, aut est quidam motus affectus. Motus autē non est continuus vllus, nisi isce qui loco accommodatur, & huius isce qui est conuersio. At non si sit motuum vel effectuum, nihil autē operetur, motus nō erit. fieri enim potest vt id quod potētiam habet, omnino nō operetur. nulla ergo prorsus erit vtilitas, etsi substantias sempiternas fecerimus, perinde atq; ij qui formas in ratione rerū introduxerunt, nisi quippiam principium inlit, mutare potēs. Neq; igitur ipsa sufficiens est, neq; aliqua vlla substantia præter formas. Si enim non operabitur, motus profecto nō erit, nec etiam si operabitur. substantia autem ipsius potentia est. Non enim perpetuus motus erit. Quod enim potētia est, id potest nō esse. Sit ergo principium tale oportet, vt substantia ipsius sit actus. has igitur insuper substantias materiæ expertes esse oportet. Perpetuas enim esse oportet, si aliud profecto quicq; æternū est. Actū igitur sunt.

Mot<sup>9</sup> sempitern<sup>9</sup> & immortalis.

Cum autem tres sint substantiæ, duæ quidē naturales.) Iam hinc ad disputationem aggreditur de prima causa, primaq; substantia: quam deū etiam hoc in loco interdū appellat. In primisq; quādam huiusmodi substantiam sempiternā esse confirmat, ad hunc modū. sumens id quod supra demonstratum est, substantiam cæteris omnibus rebus esse priorē, ait. Nisi sit aliqua substantia sempiterna, sed omnes caducæ atq; mortales, omnia profecto caduca erunt, atque mortalia. Cætera enim a substantia seiungi nequeunt, nec sine ipsa consistere valent. non sunt autē omnia mortalia. non igitur substantiæ omnes caducæ sunt. non esse autem mortalia cuncta præter substantiam, certū est. Motus enim sempiternus & immortalis esse demonstratur. Nam si natiuus esset, cum omne quod fit, ab aliquo & ex aliquo fiat, ea quoq; essent, ex quibus motus efficitur. quæ si sic se habeant, vt neq; quod efficit, vt efficiere possit, neq; quod patitur, vt pati valeat, mutatione quapiā indigeat, motus iam sit, non efficiatur. sin autem aliquid sit illis impedimento, profecto motus quisquam fiat oportet, vt alterū efficiat, alterum patiat, & ex ijs motus fiat. & sic anteq; efficiatur, vt motus ingenitus sit, necesse erit. Cum ergo motus sempiternus sit, idēq; suū esse in eo quod mouetur obtineat, efficitur, vt quod motu sempiterno mouetur, ipsum sempiternum sit. Qui nanque fieri potest, vt moueatur aliquid sempiterno motu, cū ipsum non sit sempiternum? Cui loco si quis ad hūc modum occurrat, sempiternū esse motum propterea quòd ipsum motū corpus aliud post excipiat, primū motus non erit neque continēs, neque vnus, quippe cū motus continēs vnus entis, quod ipso mouetur, vnus sit. Deinde fieri potest, 20

vt motus deficiat, nisi quiddam aliud sempiternum constantis ac certę mobilium traditionis huiusmodi causa sit: vt dubiū esse non possit, quin corpus quod sempiterno motu cietur, vnū idemq; sempiternū habeatur. At sola circūlatio inter motus sempiterna est & cōtinens. corpus igitur quod hoc motu cietur, sempiternū est, ac proinde hoc inter corpora principatū obtinet, cum sempiternum nō sempiternis potius habeatur. Et quod primo ex cunctis motibus motu mouetur, optimū est, ac proinde inde animatū. corporum enim optimū est animatū, cum animatū corpus inanimi p̄feratur. est autem circūlatum corpus optimū, ergo animatum. Cunctōrū enim corporum potissimū est animatū, circūlatum autē corpus est huiusmodi. Præterea omne quod mouetur, mouetur ab aliquo. ac proinde quicquid per animam mouetur, ab aliquo mouetur. Siquidē quod per animā mouetur, per impetum mouetur. impetus autē per alicuius appetitū fertur. quo fit, vt sempiternū corpus per impetū & cuiuspiam appetitū moueatur. quod si ita est, aliquid esse oportet, cuius hoc appetens sempiterno motu mouetur, quod ipsum sempiternū sit atq; actū. Nam quicquid aliud mouet, id aliquid actu existens mouet. Quod semper igitur continēterq; mouet, hoc semper idē erit actu, expers omnino potentia. Nā si facultate sit, cum nulla potentia, vt in libro de cœlo demonstratur, sit in infinitū: si ergo potentia habeat non existēdi, aliquādo actu erit non ens. itaq; fieri posset, vt motus periret, si motor ipsius nō esset actu. prorsus igitur potētia vacat. Quin etiam motor hic omnino erit motus immutabilis. Nam si hic motus ipse mouet, idem aliū sui motorē desiderabit, & hic rursus alium, & hoc in infinitum. At si fuerit immobilis, erit idē incorporeus. Nā omne corpus in eo quod corpus, est mobile. Quædam igitur substantia erit sempiterna, simplex, & actu immobilis, quę sempiterni continentisq; motus circūlati corporis causa sit: quod circūactum corpus mouebitur ab illo, propterea quod ipsum intelligat, & desiderio atq; appetētia eius consuetudinis feratur. quicquid enim seiunctum, ab immobili quopiam mouetur, id ad hunc modum mouetur. Ceterū huius rei demonstratio per resolutionē efficitur. Neq; enim primi principij potest esse demonstratio, sed a posterioribus & apertis exordiis mur oportet, & secundū conuenientiā cum his resolutione vsi, naturā illorum constituamus. formā vero motus circularis motricē esse primum, & maxime intelligibilem, ac primū & maxime appetendam, hinc colligi & declarari potest, forma est proprie intelligibilis. materia enim quę nihil est actu, p̄portione, atq; vt est apud Platonē, notha supposititiāq; cōsideratione intelligitur. Forma vero cum actus quidam sit, intelligibilis est. formarū porro intelligibilior est, quę in substantia est, & per se, quā quę in alio quopiam habetur. Itē earum quę sunt in substantia, intelligibilior habetur, quę simplicissima est, & semper actu. quę idcirco est maxime intelligibilis. est enim maxime intelligibilis, tum quia maxime est, cum sit semper actu, tum quoniam suapte natura simplex est, & intelligibilis, quandoquidē formę quę in compositis habentur, tunc demū intelligibiles sunt, cum animo ab ijs in quibus insunt, seiungūtur, & tanq̄ simplicia considerātur. Vniuersi autē motrix substantia huiusmodi est, seiuncta inquam, simplex, & actu. ipsa igitur est maxime intelligibilis. Quinetiam maxime appetenda. id enim maxime sua natura est appetendum, quod sua natura pulcherrimum est. hæc autem forma huiusmodi est. pulchritudo enim in forma magis quā in materia consistit, scilicet quoniam in efficiēte magis quā in patiente. Patiturq; quod est potētia, efficit quod in actu. Item in definito magis, q̄ in diuerso. In forma igitur quā in materia pulchritudo potius inest, magisq; in forma quę est in substantia, quā quę in genere quopiam alio. ob hanc enim cæteræ sunt. Et ex ijs quę habētur in substantia, ea quę maxime est, & simplex, ab eoq; abhorret, vt potētia sit, ea pulcherrima est. talis autē esse commemorata natura demonstratur. hæc igitur proprie ac primum appetenda est, & intelligibilis. (Cū igitur tres sint substantię, duæ quidē naturales, vna vero immobilis.) De primo, vt diximus, principio hinc incipit disputare, quę sit eius natura, eiusq; munus quale sit. In primisq; huiusmodi principij in rebus esse confirmat, & sic quę sit eius natura declarat. Nā cum tres, inquit, substantię sint, duæ quidem naturales, quas esse cōmunis mortalium est cōsensus, & quarum altera ingenita est, & immortalis, altera, si ad vniuersitates spectes, itidē ortus & interitus immunis, (est enim mundus) per partes tamen natia & mortalis, tertia vero immobilis, de hac inquit immobili nobis differendū est, ac ostendēdum, ex necessitate quandā substantiam esse immobilē & sempiternam. Iacto igitur pro fundamento, eo quod supra confirmauit, substantiam cæteris omnibus esse priorē, id est quanto, quali, & reliquis, quod propositum sibi est, in hunc maxime modum cōcludit. Si omnis substantia mortalis est, nihil a substantia diuersum sempiternum erit, cum omnia in substantia esse suum obtineant. At est aliquid ex ijs quę substantia nō sunt, sempiternum, & immortale, motus scilicet atq; tēpus. aliqua igitur substantia sempiterna est, quę sempiterno motu cietur, cū omnis motus alicuius esse intelligatur. Motus autē sempiternus esse, in octauo libro Phisici auditus demonstratur. Quod autē tempus quoq; sit sempiternum, rationē non putat silentio esse p̄termittēdam, quam explicat in hunc modū. si tēpus inquit natium est, & mortale, prius nō erat, & posterius nō erit. at prius & posterius tēporis aliquid sunt. tempus igitur antequā tempus oriretur erat, cū prius sit ante tēpus. & rursus tēpus non erit, postq̄ tempus esse desierit, quia post tēporis interitum posterius est. Sed cum aliquā esse substantiam, quę motu sempiterno moueatur, docuisset, ostēdit præterea quę sit huiusmodi substantia, ad hunc modū. sempiternus motus vnus est. qui vero vnus est, continuus idem habetur, quēadmodum tēpus. Nam tēpus vel idem est quod motus, vel ipsius aliquid. Motus autē continuus non est alius quā motus loci, idēq; circularis. motus igitur sempiternus cir-

Corpus circūlatū, sempiternum est, & inter corpora principatū obtinet.

Substantia quædam sempiterna, sempiterni motus causa.

Materia. Forma.

Pulchritudo.

Primum principij.

Tēpus sempiternum.

cularis est, ac proinde substantia quæ hoc motu mouetur, est sempiterna. Cū igitur substantiã quãdam esse sempiternã, quæ motu circulari sempiterno moueatur, exposuisset, & in opere de Physico auditu, omne quod mouetur, ab aliquo moueri demonstrasset, aliquẽ esse concludit motorem, & effectorem, sempiternum motũ ciẽtem, qui immobilis sit, & sempiternus, idemq; forma & actus, expertus omnino potentia. In dictione autẽ quæ ait, (At vero si fuerit motuum aut effectuum, nõ operans autẽ aliquid) illud non operans autem, pro eo dictũ est, non sit autẽ actus expertus omnino potentia, erit quando nõ erit motus. quod enim potest non operari, id aliquando vacabit ab opere. demonstratum est autẽ, fieri non posse, ne motus sit. ergo ne fieri quidẽ potest, vt in sempiterni motus motore insit aliqua potentia. Cæterũ si circumacta corpora cum sempiterna sint, abhorrent ab eo, vt potentia sint, quod tandẽ est discrimen, quo hæc a primo principio differunt? An verum non est hæc a potentia prorsus esse aliena? Nam licet eius potentia qua res oriuntur & occidunt, expertia sint, a potentia tamen mouendi nequaquam abhorrent. si quidem hemisphærium, quod actu supra terram est, idem est facultate subter. Cum ergo primũ principium & sempiternum actu esse docuisset potentia prorsus immune, illud adiecit (Nulla ergo prorsus erit vtilitas & si substantias sempiternas fecerimus.) & quæ sequuntur. cuius sensus est, siue prima principia ideas esse ponamus, siue numeros, id nihil huc conferat, vt entia semper sint, quẽadmodum sese habent, nisi aliqua forma & natura habeatur, quæ actus sit sempiternũ motum mutare ac mouere valens. sed neq; si alia quæpiam natura & substantia a formis diuersa ponatur, quæ tamẽ actus nõ sit, hæc satis fuerit ad sempiternũ motum sciendũ. Quod vero ait, Si enim nõ operabitur, motus profecto nõ erit, huic æquipollet. Nam si substantia a formis diuersa non operetur, sed feriata maneat, quẽadmodum idearum authoribus videtur, qui ideis immobilitatẽ ac omnis muneris vacationẽ tribuentes, deffuua quẽdã ab ipsis delabentia in hanc materiam influere aiebant, & ad hunc modũ singula quæq; generari. si ergo substantia, quam quisquã esse statuat, sese perinde habeat, atq; ideæ, vtq; motus non erit. siquidem operante & motore sublato, motui nullus locus relinquitur. (Neq; etiam si operabitur) inquit, id est, immo vero licet operetur & moueat a formis diuersa substantia. (Substantia autẽ ipsius potentia est) id est, si tamen ipsi potẽtia quæpiam inhæret, vt nõ sit potentia penitus expertus, nihilo magis motus erit sempiternus. quod enim potẽtia non est, siue potentia habet non operandi, id vt aliquando non operetur necesse est. huiusmodi ergo principium, cuius substantia est actus, vt potẽtia sit expertus oportet. Vbi vero ait, (Has igitur insuper substantias materie expertes esse oportet) has pro ceteris dictũ esse reor, vt sit sensus. Non solum inerrantis sphæra motor talis sit oportet, qualem nos esse explicauimus, sed etiam cætera principia, quæ Saturni, Iouisq; & cæteras sphæras cõuertunt. quæ quidẽ principia primo subdita subiectaq; sunt. Hęc igitur materie expertia & sempiterna esse oportet. siquidẽ aliud est sempiternũ. Nam quoniã aliud quoddam, id est, motor inerrantis, sempiternũ est, hæc quoq; sempiterna sint consentaneũ est. nisi illud (siquidẽ aliud sempiternũ) placet aliter exponere, ad hũc modũ, quoniam septẽ sphærarum vnitas sempiterna est, idcirco motores ipsarũ vt sempiterni sint oportet.

Quauis dubitatio est. Videtur enim omne quidem quod operatur, posse: nõ omne autem quod potest, operari. Quo fit vt actum potẽtia antecedit. At si hoc est, nulla erit res erit. Contingit enim posse quidem esse, nõdum autem esse. Enimvero si ita sit vt Theologi dicunt, qui ex nocte res generant, aut vt naturales, qui simul res omnes inquirunt esse, idẽ impossibile sequitur, quoniam modo materies ipsa mouebitur, si non sit aliqua causa actus: non enim materia domus seipsam mouebit, sed eam mouebit ædificandi facultas. Neq; sanguis menstruus seipsam, neq; terra seipsam mouebit, sed ipsum semen. Idcirco sunt, qui semper faciunt actum, vt Leucippus ac Plato. semper enim inquirunt esse motum. Sed quamobrem, & quem, non dicunt, nec quo modo, nec causam. Nihil enim quouis modo sine discrimine vllõ mouetur, sed semper sit quippiam oportet, vt natura nunc quidẽ hoc pacto, vi vero, aut a mente, aut ab alio hoc modo. Deinde quisnam sit primus motus, non dicunt. Magni enim interesse videtur. At vero neq; Plato dicere potest id esse principium, quod ipsum seipsam mouet, quod quidem interdum ipse principium esse putat. Est enim anima ipsa posterius orta, & simul, vt ipse inquit, cum cœlo. Putare igitur potentiam actu priorem esse, tum rectum est, tum nõ rectum: at quoniam pacto, iam antea diximus.

Quo in loco dubitare succurrit, quidquid enim operatur, id operari posse videtur. Quoniã principium quod inquirimus, actũ esse docuit a potentia prorsus alienũ, dictis tamen inquit obuiam iri posse videtur. Sic enim aliquis occurrat. Si potentia prior est actu, vt inductione colligi videtur, prius autẽ principium est actus, aliud igitur principium, potentia scilicet ex qua factus est actus, prius est primo principio. Itaq; ipse ostendere conatur actu priorẽ esse potentiam. Nam quidquid operatur, ait, id operari posse videtur. Vt enim quia omnis homo est animal, non autem omne animal homo, idcirco animal homine prius esse dicimus, sic quoniam omne operans, potest, non autem omne

potens operatur, ideo potentia quàm actus prior esse videtur. At si potentia prior est actu (nulla ergo res erit) id est, fuit tēpus cum nulla res esset. contingit enim, vt quod esse potest, nondum sit. Atq; equidem in dictione quæ ait (quidquid enim operatur, id operari posse videtur) verbū videtur huc pertinere puto, vt sibi non placere innuat propositionem quæ ait, omne quod operatur, potest. vt sit sensus, videtur alijs. Illud autem, (At si hoc est, nulla ergo res erit. contingit enim posse quidem esse, nondum autem esse) pro solutione suggestū esse reor eius orationis qua potentia actu prior esse dicebatur. si enim ex eo quod omnis potētia actu prior esse dicatur, efficitur fuisse cū nulla res esset, quod fieri non posse in libris de cœlo demonstratur, falsum igitur dictū est, omni actu priorem esse potentiam. Quam si hæc, vt diximus, quæstionis solutio sunt, quomodo rursus eadem infra dissoluit? An hoc ab Aristotelis ingenio nō abhorret? qui omnibus quidem in locis, sed in hoc potissimū opere solet ad veritatis confirmationē bis eisdē de rebus meminisse, ac toties quæ ad ipsas pertinet disputare. Postq; igitur actum facultate priorem esse docuit, siue formam materia (omnis enim potentia quasi materia est, vt Socrates facultas & materia est scribēdi) theologos accusat, quibus potentiam & materiam actu priorē esse placebat, quandoquidē Hesiodus qui Chaos primum genitum esse dicebat, atq; noctem quæ terrā genuerit, per Chaos & noctē materiam innuebat. Materia enim propter obscuram sui notitiā tenebræ atq; nox non incōmode vocatur: eadē Chaos, quoniam vim habet formas ipsius admittendi atq; excipiēdi. Anaxagoras quoq; dicens, simul res omnes erāt, materiam obscure significabat. Neq; vero Physicos dānat Empedocle & Anaxagoram (hi enim actū quàm potentia priorem esse censebant, vt cōmemorabit, quippe quorum alter amicitiam & discordiā actum esse statuebat, Anaxagoras vero mentē) sed theologos. Nam cū ait (idem impossibile) non significat eadem incommoda Physicis accidere, quæ theologis: sed hic est sensus, idem incōmodum sequitur omnes theologos, qui potentia actu priorē esse statuunt. Aut certe idem incōmodū dicit consequi theologos & Physicos, non omnes, sed quibuscunq; vel theologis vel Physicis priorem actu potentia statuere placuit. si enim potentia, inquit, per hos prior est actu, quomodo materia ex se moueri queat, nullo actu qui moueat existente? Neq; enim ligna seipsa mouent ad arculā conficiendam, sed ab arte fabrilī, qui actus quidā est, mouentur: neq; menses muliebres ad animal generandum a se mouentur, sed a semine genitāli. Nec itē terra seipsam ad stirpem procreandā mouet, sed mouetur a semine. Quæ vt euitarēt incōmoda, quidam actum ante potentia posuere, vt Leucippus & Plato, quem actum motū esse tradebant. Nam motus semper esse Leucippo & Platoni videbatur: quoniam Plato, inquit, materiam quæ temere ac sine ordine feratur accipiebat, Leucippus vero in inani corpora indiuidua infinito tēpore moueri dicebat: ijdēq; motū actum esse statuebant. Cur tamē motus sit actus, & hic motus quisnam sit, circularisne, an alius quisquā, & cur quædam hoc modo, alia illo moueantur, causam reticent. Nam cum aliquid, vt demonstratum est, semper esse debeat, nimirum cur Sphæra inerrans ab ortu in occasum feratur, vagæ in diuersum, causam redditā oportuit. Neq; enim quidquid mouetur, temere motum facit, sed natura quidē lapis hoc modo, id est deorsum, & ignis sursum: vi autem illo, id est, lapis sursum, ignis deorsum. Natura igitur lapis deorsum fertur, homines vero ab intellectu mouentur, vt qui aliquid appetentes mouentur, cum corpus in tectum cogūt vel arborem conscendere, quò nostro corpori nō est latio naturalis. corpus enim nostrum secundum naturam deorsum fertur. Animalia vero rationis expertia, ab alio, hoc est ab imaginatione vi ablatā mouentur. Horū igitur causas reddere par erat. Ad hæc, motus omnium primus cuiusmodi sit, explicandum fuit. Magni enim refert, secundū ne, an præter naturam moueatur motus qui primus omnium habetur. Sed & aliud est quod Platoni errori dat. Nam cū Plato ante etiam q̄ mundus generaretur, motū esse dixisset, propterea quòd materia sine ordine moueatur, rursus animam simul cum cœlo natam, quæq; sibi motū affert, fontem esse ait, ex quo motus emanauerit, & causam vt motus sit. Itaq; ante cœlum conditū, eamq; animam, quæ cū illo coorta est, motū esse tradit. At si ante cœli ortum, eiq; cōgenitam animā motus erat, vtique falsum est animā, quæ se ipsa mouet, fontem atq; originem esse motus. Hęc effatus, rursus quasi solutionem quandam cōmemorata quæstionis, quæ ait, si potentia prior actu sit, fieri vt actus non sit principiū, illud infert. (Putare igitur potentiam actu priorē, tum rectū est, tum non rectum) quoniam in vno eodēq; verum est dictū potentiam actu esse priorem. Socrates enim cum prius potentia esset musicus, deinde actu musicus est effectus: attamen aliud erat prius musicum actu, quod Socratem ad actum perduxit. Itaq; in eodē atq; vno ex ijs quæ oriuntur & occidūt, prior est potentia q̄ actus. Si tamen ad cunctōrū hominū multitudinē spectes, haudquaquam actus posterior est quàm potētia. At si in his potētia actū non præcedit, lōge hoc verius erit in posteritate actus, qui proprie intelligit. Sed de his accuratius in lib. de anima disputatur.

Aristotelis ingenium.

Chao & nocte Hesiodus materiam innuebat.

Menses muliebres a semine genitāli mouentur.

Plato etiā ante mūdū genitū motum fuisse dicebat.

Esse autem actum potentia priorē, testis est Anaxagoras. est enim mens actus. testis est Empedocles, concordiam atq; discordiam afferens. Testes deniq; sunt ij qui motum inquirunt semper esse, veluti Leucippus. Quare nō erat Chaos aut nox tēpore infinito, sed eadem semper erant, aut reditione, aut alio modo, si actus potentiam antecedit.

Esse autem actū potentia priorē, testis est Anaxagoras. Confectis demonstrationibus Aristoteles aliorū placita in suæ sententiæ confirmationē afferre solet. Itaq; cum actum potentia priorem esse

docuisset, Anaxagoram atq; Empedoclem testatur: quorū cum alter actum, id est intellectū priorē mixtura faceret, Empedocles amicitiam & discordiā, & uterq; motū semper esse affirmaret, actum, id est, motū ante potentiā esse statuebant. Quare si actus prior est potentia (non erat Chaos aut nox tempore infinito) id est, potentia non erat prior actu. (sed eadē semper erant) quæ nunc sunt, id est, semper mūdus erat. (Aut reditione) ut Empedocles tradebat (aut alio modo) ut placet Aristoteli.

Quod si idem est semper reditione, permaneat quippiā semper modo eodem agēs oportet. Necessē est ergo hoc quidem pacto illud per seipsum agere, hoc autem pacto per aliud. Aut igitur per aliud quippiam, aut per primū. per hoc igitur agat necessē est. Rursus enim illud & ipsi causa est, & illi. est igitur præstabilius dicere per primum. etenim ut semper eodē modo res fiat, illud causa erat: ut autem aliter, aliud. At ut semper alio modo, utrūq; sic igitur sese habēt & ipsi motus. Quid igitur alia principia quære oportet? Quoniam autē res ita sese habere potest (& si nō ita sese habeat, ex nocte, & ex hisce quæ simul sunt, atq; ex non ente res erunt) hæc solui profecto possunt. Atq; est quippiam, quod incessabili motu semper mouetur, hic autem est conuersio ipsa. Atque hoc non ratione solum, sed re, ut patet. Quare primum cœlum perpetuum erit. Est igitur & quippiam quod motu ciet. Cum autem sit id, quod mouetur, & id quod mouet, & medium, est quippiam profecto quod mouet, & non mouetur, quod quidem perpetuum est, & substantia, atq; actus.

Sol subter  
supraq; terrā  
singulis  
dieb<sup>9</sup> fert.

Quod si idem semper est reditione. In dictione desideratur illud, vel alio modo, ut perfecta dicitio sit huiusmodi, si semper mundus hic est, vel reditu, ut Empedocli placet, vel aliter, ut nobis videtur, aliquid persistat oportet, quod eodē operetur modo, & cuius natura sit actus. At si ut generatio semper sit necessē est, aliquid sit oportet quod aliter operetur, id est, oblique moueatur, ut genitorē hoc est Solē nunc cōminus agat, nūc longius seducat. Quod igitur oblique mouetur, id necessē est ut per se hoc pacto operetur, id est, oblique moueatur, & Solē tum admoueat, alias submoueat (hoc autem pacto per aliud) id est, ut Sol terrā singulis diebus subeat, rursusq; supra ipsam fiat per aliud. Aut igitur, inquit, per alterū hoc accidit Soli, exempli gratia per Sphæram Saturni, (aut per primū) id est, per inerrantem Sphæram. & orationē explicans ait, Necessē est igitur, ut per inerrantis motum Sol subter supraq; terram fiat, non per Sphæram Saturni. Cur autem Sol subter supraq; terram singulis diebus per inerrantem latōnē fiat, causam suggestit, dicēs. (Rursus enim illud & ipsi causa est & illi) id est. Nam rursus corpus inerrantis causa est stellæ, quæ in Saturni globo circūagitur, ut subter terram supraq; fiat, & illi, hoc est Soli, quandoquidē inerrantis latio causa est ut Sol atq; Saturnus singulis diebus orientur & occidāt. Satius est igitur ortus & occasus solaris causam inerranti, q̄ Saturni globo assignare. (Nam illud) id est, globus inerrās causa erat Soli (ut semper eodē modo res fiat) id est, ut semper supra subterq; terrā feratur. (ut autē aliter) id est, ut iam Scorpion teneat, iam Capricornum (aliud) signiferi videlicet per quē fertur, obliquitas. (At ut semper alio modo, utrunq; scilicet) post illud alio modo, punctus esse debet. est autē sensus, ut semper alio modo, id est ut constanter vicissimq; nox fiat, atq; dies, ortus item & interitus (utrūq;) inerrans scilicet & Solis quæ oblique fertur Sphæra causa est. Inerrans igitur Sphæra diei noctisq; mutux successione causa est, Solaris autē, & ipse Sol nascendi & intereundi vicissitudinis. Hęc effatus ait (sic igitur sese habent & ipsi motus) quasi dicat, non solū nos hæc de inerrantis Solisq; Sphære motibus tradimus, sed etiam motus ipsi reuera sic se habēt. Si ergo hi motus causa sunt, ut nos quemadmodū res habet differamus, quid attinet alia principia cōquirere, qualia idearum assertores tradūt? Hęc ubi dixit, ait (quoniam autem res ita se habere potest, hæc solui profecto possunt, ac nisi ita se habeat) estq; punctus adscribendus post illud se habeat (ex nocte & simul omnibus & non ente res erunt) hæc enim est dictionis continuatio. est autē sensus. Quoniam actū priorem esse potentia demonstratum est, & quia motus inerrantis Solarisq; sphærarū, quæ quidem sphære actus sunt, licet non ut proprie dicitus actus causæ sunt dierum noctiūq;, & ortus atq; interitus, omnis quæstio dissolui potest, tum ea qua num actus prior sit potentia inquiritur, tū quæ causam poscit, cur sic inerrans, cur aliter Solis sphæra moueatur, & illa item quæ motū primus cuiusmodi sit inuestigat. Nam de his omnibus dictū est, quoniam motus qui secū alios mouet, id est motus inerrantis, motuum est primus, qui sic mouetur, ut noctes diesq; efficiantur. Solis autē sphæra in diuersum, quoniam ut ortus & interitus fiat, oportet. ortus autem & interitus semper sunt, quoniam oportet ut aliquid semper existat. quæ si ad hunc modum sese habere queunt, ut diximus, omnia solui possunt, ac nisi ita se habeat, id est sin autem neget quispiam rem sic se habere, ex nocte & simul omnibus atq; ex non ente res erunt, id est potentia prior erit quàm actus, & omnia ex potentia existent, quod fieri non posse demonstratū est. His cōmemoratis, rursus de primo principio ex resolutione differit. (Nam est, inquit, quidpiam quod incessabili motu semper mouetur, hic autem est motus circularis.) Esse porro sempiternum circularem motum, non ratione tantum ac demōstratione, sed re etiam & opere, & maiorum traditione perspicuum est. sphæ



ra igitur inerrans est primum cœlum, quod sempiterno motu cietur, quodq; omne corpus errans mo-  
uet. errans enim a primo inerrante mouetur. aliquid igitur sit oportet, quod moueat duntaxat. Nam  
cum sit quod solum mouetur, quod quidem est vagum, erransq; corpus: sit item medium, quod mo-  
uetur, simulq; mouet, cuiusmodi est globus inerrans: tertium quiddam habeatur oportet, quod moueat  
duntaxat, quod immotum ipsum illis motum affert, ac sempiternum est, idemq; substantia & actus. Ac me-  
tem quidem omnium dictorum explicauimus. In dictione autem que ait, (cum autem sit id quod mo-  
uetur, & id quod mouet, & medium) primum post illud (& medium) punctus est apponendus, dein-  
de subaudiendum hoc, est item quod mouetur duntaxat. tum inferendum, (Est igitur quidpiam quod  
mouet & non mouetur) & c. vt sit vniuersum huiusmodi. sed quoniam eius quod mouetur tantum,  
& eius quod mouet solum, medium est quod mouet simul & mouetur, & horum existunt duo, hoc est,  
quod mouetur solum, & quod mouet simul & mouetur, vtiq; immobile quoq; sit necesse est.

Sphæra in-  
errans.

Hoc autem modo ipsum appetibile atq; intelligibile mouet. mouens enim non mo-  
uetur. horum autem prima eadem sunt. Sub cupiditatem enim id cadit, quod bonum  
esse videtur. sub voluntatem autem primum id bonum est. atq; potius appetimus, quia  
videtur, quam videtur, quia appetimus. intellectio enim principium est. Mens autem  
ab intelligibili ipso mouetur. Atque altera series per seipsam intelligibilis est, & huius  
ipsa substantia primo, & huius & ea quæ simplex est, atq; actu.

24 Hoc autem modo ipsum appetibile atq; intelligibile mouet. Cum appetendum & intelligibile ad  
hunc modum mouere dixisset, breui exponit quomodo, dicens ipsa, scilicet immota. Nam sic, inquit, om-  
ne appetendum & omne intelligibile mouent, vt ipsa non moueantur, sed immota maneant, aliaq; mo-  
ueant, vt scœnum mouet asinum, imago amatorum. Cui autem omne appetendum, & omne intelligibile a pri-  
mo & per se intelligibili & appetendo dicatur, sintq; appetenda quædam, non eadem intelligibilia, vt pa-  
nis, ac ediuerso intelligibilia quædam, quæ non sunt appetenda, vt mala, primum ac præcipue intelli-  
gibile idem esse docet, quod præcipue appetendum. Sed in primis quod sub cupiditate cadit, quo disci-  
mine ab eo distet, quod voluntati subijcitur, exponit. id enim concupiscimus, ait, quod pulchrum vi-  
detur. Nam quod proprie pulchrum est, id non concupiscitur, sed desideratur, atq; appetitur. Cupiditas  
enim a desiderio diuersa est, cum ipsa in parte animæ concupiscente ex parteq; rationis habeatur, desi-  
derium in rationis cōpote. Volūtatis autem obiectum primum ac proprie non est id quod pulchrum esse  
videtur, sed quod est suapte natura pulchrum. Appetimus autem quia pulchrum videtur, potius quam edi-  
uerso, quoniam appetimus, videatur pulchrum. de quibus cum ad hunc modum disputauit, primum intel-  
ligibile, & primum appetendum idem esse colligit, dicens, (Intellectio enim principium est) id est, ap-  
petendum est motus principium. Illud enim subaudire oportet, quoniam appetendum mouet mentem,  
cuius motus est intellectio, cum expetendum moueat mentem ad intelligendum, sit ne appetendum, an  
non. Cæterum & ab intelligibili mouetur mens, si quo intelligibile mouet mentem, ipsamq; actu me-  
tem facit, eandemq; mouet appetendum. Intelligibile ergo idem est, quod appetibile. At causa prima  
suapte natura proprie intelligibilis est, atq; intellectus. Ea igitur proprie intelligibile est, & proprie  
mens, ac proprie appetendum. Vbi autem dixit, (Mens autem ab intelligibili ipso mouetur,) adiungit.  
(Atq; alter ordo per seipsam intelligibilis est) Quænam vero per se intelligibilia sint, & quæ secus,  
paulo post considerabimus. Alterum autem ordinem appellat, ordinem pulchri, in quem secundum Py-  
thagoricos substantia, lumen, triangulus, impar, & cætera his annumerata rediguntur. Omnia igitur  
quæcunq; boni subijciuntur ordini, intelligibilia sunt, sed ex eis substantia potissimum intelligibilis est,  
& in hoc genere ea est maxime intelligibilis, quæ simplex secundum actum habetur, quæ proprie in-  
telligibilis est, & expetenda. Sed quoniam substantiam per se & actu intelligibile esse tradidit, vt quæ-  
dam intelligibilia, quæ non sunt intelligibilia per se, neque actu distinguamus, operæ precium erit,  
atq; adeo necessarium, quæ per se & actu intelligibilia sint, & quæ secus, edocere. Formarum igitur quæ  
materiales sunt, & in materia suum esse obtinent, hæ ab intellectu intelligibiles fiunt, cum sint potetia,  
non per se & actu intelligibiles, quippe quas intellectus sequestrans a materia cum qua ipsis esse sup-  
petit, intelligibiles efficiat. & tunc ipsarum quæq; intelligibilis actu est, atq; mens siue intellectus effi-  
citur, cum intelligitur, non ante. Nam intellectus actu nihil est aliud quam forma quæ intelligitur. Itaq;  
harum quæq; licet non sit simpliciter intelligibilis, tamē cum intelligitur, intellectus efficitur. Vt enim  
sensus actu idem est quod actu sensibile, & actu sensibile idem quod sensus actu, sic intellectus actu, hoc  
est quod actu intelligibile: & actu intelligibile, idem quod intellectus actu. Intellectus enim sumens  
intellectus rei formam, ipsamq; a materia secernens, illam actu intelligibile facit, & ipse actu intellectus  
efficitur. At si qua res est, quæ admodum demonstrauimus, incorporea, & per se ens, experisq; materie,  
ea est actu intelligibilis suapte natura, & a se vt sit actu intelligibilis habet, & non ab intellectu, qui  
se a materia secernat: qui quidem intellectus materia vacat, & intelligibilis est. quin intellectus actu  
semper est actu intelligibilis, vt ipse paulo post declarabit. Itaq; quas formas intellectus a materia  
secernit, atq; efficit intelligibiles, eæ non sunt proprie & per se intelligibiles, argumēto, quod ab intellectu  
se intelligente, quæ ipsas a materia secreuit, & ex particularibus vniuersalia effecit, separatę intercidunt,  
nec sunt, quibus autem a se vt per se sint suppeditat, hæ proprie sunt intellectus, & proprie intelligibilia.

Pulchrū cō-  
cupiscim⁹.

Volūtatis  
obiectum,  
pulchrum.

Intellectus  
actu.

Vnum autem & simplex non eadem sunt. vnum enim mensuram, simplex quomodo sese habet ipsum significat. At vero bonum ipsum, & id quod per se est expetibile, in eadem serie sunt, & ipsum primum est optimum semper, aut rationis similitudinem subit. Atqui id gratia cuius cetera sunt, vel fiunt, in ipsis immobilibus declarat ipsa diuisio. est enim alicui id gratia cuius agitur, quorum aliud est, aliud non est. mouet autem ut amatum, atque per id quod mouetur, cetera mouet. Si igitur quippiam mouetur, aliter sese habere potest. Quare si latio prima actus est etiam quo mouetur, hoc ipso ratione loci, etsi non substantiae ratione, aliter sese habere potest. Cum autem sit quippiam mouens immobile, atque actu, id ut aliter sese habeat, nullo pacto fieri potest. Prima namque mutationum latio est, & huius ipsa conuersio, atque illud hoc motu mouet. ergo necessario est ens. Atque ut necessario est, bene etiam hoc pacto principium est. Necessarium enim pluribus sumitur modis. Atque aliud est ut violentum, propterea quod est praeter impulsionem ac motum: aut ut id quod aliter sese habere non potest, sed simpliciter est. Ex tali igitur principio caelum ipsum naturaque pendet.

Vnum autem & simplex non eadem sunt.) His verbis obiectioni cuidam quae opponi posset, occurrit: 25  
 quae huiusmodi est. si prima & immobilis substantia simplex est, simplex autem est vnum, substantia igitur immobilis vna est. At sunt aliae immobiles substantiae, ut ipse hoc in libro docebit. haec igitur dubitationem explicat, dicens, (Vnum autem & simplex non eadem sunt. vnum enim mensuram significat) ut vnum hominem, quo homines metimur: & vnum equum, quo equos mensuramus. Simplex non significat mensuram, sed (quomodo sese habet ipsum) id est, significat simplex non esse compositum. (At vero, inquit, bonum ipsum, & id quod per se est expetibile, in eadem serie sunt) in qua scilicet est per se intelligibile: ut intelligatur prima causam & per se intelligibile pulchram esse, & per se ac propter se expetendam atque optimam. Quidquid autem primum habetur, proportionem seu comparationem dicetur optimum. sic intellectum actu optimum appellare possumus, propterea quod intellectum habitu dignitate ac pulchritudine antecedit. itaque motum circulare optimum praerecto dicimus, quoniam eo potior habetur. His commemoratis, praeterea inquit (id gratia cuius cetera sunt vel fiunt, in ipsis immobilibus esse declarat ipsa diuisio) Illam diuisioem dicit, in qua saepe testatur se contrariorum reductionem effecisse. haec autem habetur in eo libro qui ab ipso de bono inscriptus est. At in dictione quae ait, (Est enim alicui id gratia cuius) coniunctio (enim) pro (autem) dicta esse accipi debet, ut in hunc modum intelligatur: est autem alicui id cuius gratia, quoniam quae fiunt & aguntur, alicuius felicitatis gratia cuiuspiam fiunt & aguntur, exempli gratia Socrati. (Quorum aliud est, aliud non est.) quorum, ait, id est, eorum quorum gratia est actio (aliud est, aliud non est.) id scilicet quod agit. est autem sensus, id cuius gratia, id est, quod est. quod vero est gratia huius, non est hoc quod illud. Nam quod boni gratia mouetur, ipsum non est bonum. bonum vero, quod est cuius gratia, bonum est. Mouetur autem donec bonum indispiscatur, quod ubi indeptum est, consistit. cum autem prima causa quae primum bonum est, sit infinita: quod ipsam desiderat, nunquam eius vniuersam bonitatem, ut fit in bonis particularibus, consequi valet, ac proinde semper ipsa mouebit, ut amatum incomprehensibile. Haec effatus, quomodo prima causa cuncta moueat, exponit. Corpus enim circumlatum, ab ipsa tanquam ab amato & desiderato moueri ait, cetera vero ab ipso caelo, quod a prima causa continenter mouetur. sed quoniam omnis motus rem a qua proficiscitur, mutare videtur, & caelum moueri ipse praedixerat, ne quis caelum a sua natura discedere putet, ait. (Si igitur quidpiam mouetur, aliter sese habere potest) id est, quoniam caelum mouetur, fieri potest, ut idem aliter sese habeat. & quomodo caelum dum mouetur, aliter sese habere queat, exponit, dicens, (quare si latio prima actus est, qua mouetur, hac aliter sese habere potest.) & post illud (mouetur) puncto distinguendum est. Est autem sensus. si actus caeli est prima latio, nimirum qua mouetur, & omnino motum habet, hac aliter sese habere posse dicitur. hoc est, per locum ferri, siue in orbem agi (si non substantiae ratione) id est, licet non secundum suam naturam moueatur, neque ab ipsa discedat, cum semper in orbem sit, tamen quatenus in orbem fertur, nihil prohibet ipsum moueri, si non est necessarium. Post haec, quoniam, inquit, est motor quidam, qui ut diximus, actu est, & immobilis, hic ut aliter sese habeat, aut omnino moueatur, fieri non potest. quod in hunc maxime modum ostendit. Si omnino fieri posset ut motor primus moueretur, nimirum primo omnium motu moueretur, hoc est motu circulari, quo quidem motu ipse mouere demonstratus est. at si circumactu mouet, hoc profecto non ipse mouebitur, cum motus vnus vnus esse statuatur. Porro si circularis motus necessarius est, ex necessitate igitur ipse motor est ens. (atque ut necessarium, bene etiam hoc pacto principium est.) Post illud necessarium punctus est affigendus. est autem sensus, quoniam necessarium modo id esse intelligitur, quod per vim efficitur, tum sine quo res non bene procedit, ut sine disciplina scientia non ingeneratur. alias, quod aliter sese habere non potest, cuiusmodi sunt demonstrandi principia, cum prima causa necessario sit, qua ratione est necessario, ea recte principium appellatur, id est, ut sine quo. Itaque rogati, cum prima causa necessaria sit, quomodo sit necessaria, apte respondemus, quoniam sine hac ipsum bene consistit. & concludit dicens (ex tali igitur principio caelum ipsum naturaque pendet.)

Vnum.  
Simplex.

Liber Aristotelis de bono.

Bonum.

Caelum a prima causa tanquam ab amato & desiderato mouetur.

Atqui ut nos optime per breui tempore degimus, sic illud perpetuo degit. sic enim illud est semper. Nam uti nos quidem ita semper degamus, ita fieri nequit. At illud perpetuo degit, quippe cum & voluptas ipsius sit actus. & ideo vigilia, sensus, intellectio, iucundissima sunt, spes vero atque memoria ob hanc ipsa. Intellectio, ut ea quae per se est, eius est sane, quod per se optimum est: & ea quae maxime per se est, eius est, quod maxime tale est. Mēs vero seipsam per intelligibilis ipsius assumptionem intelligit. fit enim intelligibilis tangens atque intelligens. Quare idem est intellectus, atque intelligibile. Est enim id intellectus, quod intelligibilis ipsius substantiaque est susceptivum. Operatur autem habens.

26 Atqui ut nos optime per breui tempore degimus, sic illa sempiterno.) Cū intellectus noster, qui facultate intelligibilia est, ex extrema doctrina, ac optima viuendi ratione fit actu intelligibilia, tūc optimam beatissimamque & omni voluptate iucundiozem vitam agimus, quae verbis explicari non potest, cognoscitur tamen ab ijs quibus haec foelicitas contingit. Quae igitur vitam nos ad breue tempus degimus (neque enim semper huiusmodi vitam agimus, sed cum intellectus noster efficitur actu intelligibilia) tali vita causa prima semper fruitur, quod nobis negatum est. nec enim fieri potest, ut nos semper talem vitam degamus: sed, ut dixi, ad breue tempus, ut prima causa, fieri potest: quod paulo post apparebit. Nam cum eius munus nullum sit aliud quam se intelligere, idemque ipsius opus sit sua voluptas, ideo efficitur ut semper in hac iucunditate viuat, id est, quoniam se ipsa semper intelligit. Qualis igitur vita nobis degitur ad breue tempus, hac prima causa semper est, id est ipsa prima causa est optima vita. Quae obrem, inquit, sensum & vigiliam, & intelligentiam, iucundissima esse dicimus, quoniam actus quidam sunt, quanquam velut imagines & umbræ eius operis quo fungimur, aut eius vitæ quam agimus, cum intellectus noster fit quodammodo intelligibilia. Spes autem & memoria propter actus nobis gratæ sunt. Nam cū alicuius actus recordamur, aut aliquid nos acturos speramus, tunc & spem & memoriã amamus. Si ergo spes & memoriæ propter actus a nobis diliguntur, & hi nobis propter actum qui aliquando in nobis efficitur, chari sunt, quantæ demum admirationis esse actus ille debet: Atque intellectio, inquit, per se eius est quod per se est optimum. intellectionem per se, vocans intellectum actu, qui ab eo differt qui habitu est, qui rursus ab intellectu potentia diuersus habetur. Siquidem intellectus habitu forma & potentia perfectior est, intellectus potentia, qui quidem habitus in ipso ex vniuersalis comprehensione ingeneratur, & ex eo quod formas a materia seiungere potest, quæ formæ eadem quodammodo inter sese sunt. Nam qui formas absque materia sumit, commune habet atque vniuersale. Qui enim hominis formam sine circumstantijs materialibus accipit, is hominem communem habet, quia singulorum inter ipsos differentia a materia fit: quippe quorum formæ quibus homines sunt, nullo inter se discrimine distent. Rursus qui commune quod in singulis inest conuertitur, is formam accipit absque materia. hæc enim in ipsis commune est atque idem, ingeneratur autem initio huiusmodi habitus in intellectu per transitum a continenti habitu erga sensibilia, ceu visum quædam intellectus ab ipsis accipiat ad vniuersalis contemplationem accommodatum: quo quidem principio intelligentia sententiæque nuncupatur. vbi vero coaluit, ac varium & multiplex effectum est prorsus, ut sine materiali velut fundamento id queat efficere, intellectus iam nomine ceteretur. siquidem cum talis in habitu ob actus continentes efficitur, ut reliquum per se operari queat, tunc qui habitus nuncupatur, efficitur intellectus, similis homini docto seu scienti, qui medius est inter eum qui potentia sciens est, & eum qui per scientiam operatur, qui quantum ab eo vincitur qui per scientiam operatur, tantum superat hunc, qui scientia secundum potentiam est præditus. hic autem habitus cum suo fungitur munere, intellectus actu fit. Intellectus enim secundum habitum est vniuersalæ quodammodo intelligentiæ, quæ repositæ sunt, & quiescunt. Et quoniam intellectus actu nihil est aliud, quam forma quæ intelligitur, ut sensus actu est actu sensibile, intellectus in habitu, qui is esse intelligitur, qui a se intelligere potest, & formas intelligibilium per se sumere, seipsum valet intelligere, nimirum quoniam ipse est forma quæ intelligitur. siquidem intelligens, quod intelligit, efficitur. qui ergo habitum intelligendi formas habet, huic habitus quoque & facultas suppetit seipsum intelligendi. Nam quod intelligere potest, hoc ipsum intelligens efficitur. Et est cum intelligit, præcipue ac per se formam intelligens, ex accidenti vero seipsum, propterea quod accidit ei, cum intelligit, ut id fiat, quod intelligit. Ante igitur quam ipse intellectus actu intelligat, intelligens & intelligendum, relatiua, & inter se ut ad aliquid dicta opponuntur, in ipso vero actu vnū fiunt, & opposita esse desinunt. Neque enim ratio ad aliquid in ea couenire potest. Ita intellectus actu cum idem efficitur quod intelligibile, merito seipsum intelligere dicitur. Intellectus igitur actu seipsum intelligit, propterea quod id ipsum quod intelligit, efficitur. Intelligit enim formas absque materia, quippe qui non hoc intelligit, sed huius esse, quemadmodum supra dictum est. Cū igitur intellectus actu per se optimus sit, nimirum intellectio ipsius, qua se ipse intelligit, intellectio per se, ac optimi per se fuerit. Intellectus vero actu optimus est, non quod formæ fiat, quas intelligit absque materia, sed quia primum intellectum, quoad fieri potest, intelligens, ille quodammodo fit. si ergo intellectio per se, per se optimi est, perfecto quoque per se maxime intellectio est, hæc eius erit, quæ

per se maxime est optimum. hæc autem est intellectio primi intellectus, qua se ipse intelligit, & qua ipse est intelligens, & idem qui intelligitur. Intellectus igitur actu per assumptionem intelligibilis se ipse intelligit, cum habitum, vt diximus, obtineat formas intelligendi, ipsas contingens. Est autem intellectus actu quali forma eius intellectus qui potentia est. habitum igitur habet sui intelligendi. Itaque cum se intelligit, intellectus & intelligibile idem efficitur. Nam excipiens intelligibile, & substantiam, id est intellectum, ipse intellectus est. operatur autem huiusmodi intellectus habens in se intelligibilia, quæ separauit. se creuit enim a materia, atque penes se habet, intelligitque.

Quare id quod intellectus habere diuinum videtur, magis illius est mentis, atque ipsa contemplatio iucundissimum est atque optimum. Si igitur deus semper sic bene sese habet, vt aliquando nos bene habemus, admirabile quid est ipse. Quod si magis & bene se habet, magis admirabile est profecto. At sic se habet. Inest etiam illi vita. Mentis enim operatio, vita est. Illud autem est ipsa operatio, atque actus. Actus igitur ipse, qui est per se, illius est optima atque perpetua vita. Dicimus autem ipsum deum animal perpetuum optimum esse. quare deo vita nimirum, æuumque continuum atque perpetuum inest. Hoc enim est ipse deus.

Quare id quod intellectus habere diuinum videtur, magis illius est mentis. ) Omnium quæ intel- 27  
lectus esse dicuntur, diuinissimum est contemplatio. quod igitur diuinum habet intellectus actu, habet autem diuinum id vt se intelligat, id illius magis est, id est primi intellectus est. illud igitur, inquit, quod intellectus actu diuinissimum nobilissimumque habet, hoc autem est se intelligere, id magis est illius primi intellectus, quoniam primus intellectus exactius se intelligit, quam intellectus actu seipsum. Intellectus igitur actu non se perinde intelligit, vt primus intellectus se, neque semper, sed aliquando & raro, cum primus intellectus semper se intelligat, nec aliud quam se. qui a se idcirco intelligitur, quia intelligibilis est. & quoniam actu & suapte natura intelligibilis est, ideo semper intelligitur ab eo videlicet qui actu intelligit. ipse autem solus intellectus semper intelligit. igitur se ipse semper intelligit. vel potius quoniam simplex est, intellectus enim simplex quiddam simplex intelligit, præter ipsum autem nullum intelligibile est simplex, qui immixtus est & expers materie, nec in se potentia quidquam habet. se igitur solum intelligit ipse. in eo enim quod intellectus est, se vt intelligibile intelligit. in quo vero intellectus actu & intelligibile, semper se intelligit: in quo autem simplex, solus ex intelligibilibus seipsum solum. ipse namque qui solus simplex est, cuiusdam simplicis intellectus est, & solus simplex ex intelligibilibus. Atque ipsa, inquit, contemplatio qua se intelligit. (iucundissimum est atque optimum. si igitur deus semper sic bene sese habet, vt aliquando nos bene habemus, admirabile quid est ipse. ) at si tanto melius quam intellectus actu sese habeat, vt verbis nequeat explicari, nimirum quo cum superat, hoc erit admirabilius. At excessus tantus est, quantum verbis confiteri non sit. Deus igitur summa admiratione dignus est, & longe maioris dignitatis. Inest autem etiam intellectui primo vita, quoniam mentis intellectusve actus vita est. ille autem est actus. ille igitur est vita. Itaque actus illius qui per se actus est, vita optima est, & sempiterna. Deinde ex ijs quæ primo intellectui suppetere docuit, ipsum definit, dicens. Primus intellectus est animal sempiternum optimum. Nam cum sint alia sempiterna animalia, ipse tamen primus intellectus solus est optimum. Si deus ergo animal est sempiternum, & omne sempiternum in continentia consideratur (nam si fieret intermissio, non esset sempiternum, ) nimirum deo vita eumque suppetit. est enim æuum par cuique vita. deus enim hoc ipsum est, sempiterna inquam & optima vita.

Primus intellectus se per se intelligit.

Deus.

Æuum par cuique vita.

Qui vero putat vt Pythagorici Speusippusve, id quod est optimum præstabiliissimumque, rationem principij non subire, propterea quod & plantarum & animalium principia causæ quidam sunt, bonum autem atque perfectum in ijs est quæ sunt ex illis, ij profecto non recte arbitrantur. Semen enim ex alijs perfectis prioribus emergit, & ipsum primum non semine, sed ipsum perfectum est. Nam hominem quispiam semine priorem dixerit esse, non eum qui ex hoc ortus est, sed alium, a quo semen ipsum perfluxit. Esse igitur substantiam quandam æternam, immobilemque, atque a sensibili separatam, ex hisce quæ iam dicta sunt, patet. Demonstratum est & hanc substantiam magnitudinem nullam habere posse, sed partibus carere, atque indiuisibilem esse. infinito enim tempore mouet. Nullum autem finitum infinitam potentiam habet. cum autem omnis magnitudo aut infinita sit, aut finita, finitam quidem magnitudinem ob id ipsum non haberet. infinitam autem habere non potest, propterea quod omnino in ratione rerum nulla magnitudo est infinita. At vero demonstratum est etiam impassibilem esse, nullamque prorsus alterationem subire. omnes enim cæteri motus posteriores sunt eo qui ad locum accommodatur. Hæc igitur manifesta sunt vniuersa, cur hoc modo sese habent, vt diximus.

28 Qui vero putant vt Pythagorici & Speusippus.) Ostenso deum qui primum principium est, animal sempiternum & optimum esse, in Pythagoros inuehitur & Speusippum, qui pulcherrimum & optimum in principio esse negabant, ac proinde principium optimum dici non posse statuebant, cum genitale semen, & menses muliebres, quæ sint animalium principia, non habeantur optima, sed illud melius sit quod ex ipsis procreatur. Errant igitur, inquit, neque enim semen imperfectum mensibus muliebres principia sunt, sed pater & mater: qui non solum perfecti sunt, sed etiam semine ac mensibus priores. Itaque homo semine prior est, non qui ex semine fuit generatus, sed pater ex quo fuit semen decisum. & concludit dicens (esse igitur sempiternam substantiam secretam & diuersam a sensibili patet.) quam incorpoream esse, nec partibus constare, in octauo libro Physici auditus planum fecit. & suggerit nobis id quod in eo loco differitur, huiusmodi principium sempiternum motum mouere. quod autem motum sempiternum mouer, id vt infinitæ potetia sit, necesse est: quod illic quoque demonstratur. At corpus nullum omnino esse infinitum, in tertio libro Physici auditus, atque item in primo de cælo demonstratum est. Quod igitur est infinita potentia præditum, corporis est expers. quin & prima causa nec pati potest nec alterari. si quo enim modo mouetur, motuum primo moueretur, qui est motus loci, quod verum non esse docuimus. at si hoc minus mouetur, ne alijs quidem ipsam moueri conuenit.

Semen & menses muliebres principia animalium non sunt, sed pater & mater.

Oportet autem non latere vtrum substantia talis vna sit ponenda, an plures: & si sint plures, quot sint ponendæ. Sed in memoria sententias quoque cæterorum habere, qui quidem de multitudine nihil quod sit certum dilucidumque dixerunt. Opinio enim de formis nullam considerationem propriam habet. Qui nanque ideas afferunt, numeros inquirunt ipsas esse, atque de numeris interdum vt infinitis, interdum vt vsque ad denarium definitis loquuntur. at qua de causa tanta est multitudo numerorum, nihil prorsus cum demonstratiuo studio dicunt. Nobis autem est dicendum ex hisce quæ supposita sunt, atque determinata. Principium enim, & id quod eorum quæ sunt primum est, immobile quidem per se atque per accidens est, primo autem motu perpetuo vnoque mouet. Quoniam autem id quod mouetur, ab alio moueri, & primum mouens immobile esse, atque perpetuum motum a perpetuo, vnumque ab vno prodire necesse est,

29 Oportet autem non latere vtrum substantia talis vna sit ponenda, an plures.) Postquam primum principium vnum esse docuit corporis expers, neque per se, neque per accidens mobile, sed a motu prorsus abhorrens, inquit substantia huiusmodi vna ne sit, an complures: ac si plures, quo eas numero statuere conueniat. neque ignorare, inquit, par est aliorum decreta & sententias, sed meminisse, & animo versare. & causam cur meminisse debeamus, suggerit, quia nihil illi perspicui de multitudine causarum tradidere, tres ne sint an viginti, aliove numero. qui enim rerum nostratum causas ideas esse statuerunt, ij vtrum motuum quoque causas esse statuerent, non dicunt. Cæterum cum ideas omnino causas esse statuerent, par fuit vt ipsarum numerum definirent: quod illis curæ non fuit: sed cum solum ideas numeros esse dicerent, & iam numerum intra decem concluderent, iam explicarent in infinitum, nunc infinitas, nunc finitas esse causas statuere videtur: quandoquidem si ideas numeri sunt, & numerus ad decem vsque progreditur, profecto ideas decades fuerint. Rursus si sunt ideas numerus, numerus autem est infinitus, mirum ideas infinitæ existent. Itaque de ipsis nihil constituti tradidere, infinitas ne dicere conueniat, an solum finitas esse, sed nulla demonstrandi adhibita cura de Ideis differuerunt: quibus eo nomine damnatis, quod de idearum multitudine citra demonstrationem disputassent, cum præsertim illas nostratum rerum causas esse asseuerarent, ipse ad explicandum causas motrices quo numero statuere oporteat, aggredditur. Sed primum alias esse causas confirmat, Saturni, Iouis, & cæterarum sphaerarum motrices. Nam sphaera, vt docebit, stellarum gratia sunt. Deinde numero sphaerarum inueto, mouentes causas totidem esse statuit, quot sphaeras, cum vnus vnus mouens esse constet. sed has omnes causas rursus sub primam causam reducit, id est, ad animal sempiternum optimum. quod vt tum per se, tum per accidens esse immobile demonstrauit, sic item aliarum sphaerarum motores neutro modo moueri docebit. quo in loco ambigere succurrit, quid tandem est causæ cur prima & inerrans sphaera a sua ipsius anima non moueatur. An & prima & cæteræ sphaeræ mouentur a sua quoque anima, non tamen quemadmodum animalia, quorum corpora ab animis trahuntur, retrahunturque, sed quemadmodum in secundo libro de cælo fuit explicatum: A prima vero causa mouentur, vt a desiderabili & expetendo. Sed de his hæcenus. Nobis autem, inquit Aristoteles, ex ijs quæ posita & ostensa sunt, dicendum est primum principium entium esse primum, idemque immobile tum per se, tum etiam ex accidenti: sed quod primum ac sempiternum, vnumque motum vt desiderabile videlicet moueat. (Quoniam autem id quod mouetur, ab alio moueri necesse est, & primum mouens immobile esse) per se atque per accidens: quandoquidem animæ licet primi animalium motores sint, mouentur tamen ex accidenti. (& quoniam sempiternum motum a sempiterno motore vnumque & continentem ab vno prodire necesse est.) hoc enim in Physico auditu demonstratum est. si ergo motus est vnus, cum motus vnus, vt demonstratum est, ab vno motore nascatur, utique motorem vnum esse affirmare necesse est.

Sphaeræ stellarum gratia sunt.

Mouentes causæ totidem, quot sphaeræ.

Præterq̄ lationē simplicem vniuersi, quā primā substantiam immobilemque mouere dicemus. Alias lationes esse perpetuas, vagantium inquā stellarū videmus. corpus enim cœleste sempiternum est, ac nunq̄ consistit, atq; quiescit, vt in naturali philosophia est demonstratum. harum etiā quæq; lationū profecto ab immobili, per se perpetuaq; substantia proficiscatur necesse est. Natura nanq; stellarum perpetua substantia quædā est: & id quod mouet, perpetuum est, & prius eo quod motu cietur. Id & quod substantia prius est, substantiam esse necesse est. Patet igitur tot necessario substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, si neq; magnitudine, ob eam causam quam antea diximus. Esse igitur substātiās, & harū quænam sit prima, quæ secunda eodē ordine quē inter sese lationes stellarū habēt, dilucidum esse videtur. Multitudinē autem iam lationū ex Astrologia, quæ scientiarū mathematicarum philosophiæ familiarissima est, cōsiderare oportet. Hæc enim contēplationem de substātia sensibili quidem, perpetua autem facit, cæteræ vero de nulla substantia faciunt contēplationem, vt Arithmetica vel Geometria. Lationes itaq; plures eorū esse quæ feruntur, & ijs etiam patet qui mediocriter hanc materiā tetigere. Stellarū enim vnaquæq; vagantiū, non vna, sed pluribus lationibus fertur. Quot autē hæ sunt, nunc quidē nos dicimus, ea dicentes cōprehensionis gratia, quæ mathematicorū nonnulli dicunt, vt aliqua multitudo definita mente percipiat: postea vero quædam ipsos inquirentes, quædam ab inquirentibus interrogantes, si quid præter ea quæ nunc sunt dicta, videatur hisce qui circa hoc versantur, vtrosque quidem amare, exactioribus autem obtemperare credereq; oportet.

Sed quoniam videmus præter lationem simplicem vniuersi. Vniuersum appellat spheram inerrantem, quam a prima & immobili substātia vt ab expetēdo moueri dicebamus (Alias lationes) errantium spherarum. (sempiternas) corpus enim globosum sempiternū esse, ac irrequietū, nec vnquā consistere, in libro de cœlo demonstratum est. Cum hoc igitur intueamur, (vt errantium spherarum latio quæq; ab immobili & per se immobili substantia moueatur necesse est.) quod si scriptum sit, vt in quibusdam exemplaribus habetur, ad hūc modū, (ab immobili moueatur & per se) idem erit sensus, nec solū earū quæq; ab immobili & per se substantia moueatur necesse est, sed etiā a sempiterna. Cur autem ex necessitate errantium spherarū motores sempiterni sint, & substantia, causam suggerit, dicens. (Natura nanq; stellarum sempiterna substantia quædā est) quasi dicat, cum astra quæ ab ipsis circumaguntur, sempiterna sint, necesse est vt mouens cum prius sit eo quod mouetur, sempiternum habeatur. at si prius est, vt substantia sit, fuerit necesse. Nam quod substantijs est prius, id profecto substantia est, cum nihil aliud absq; substantia valeat consistere. si ergo causa simplex vnus ac simplicis motus est motrix, vt est demonstratum, & vnus simplexq; motus ab vna & simplici causa nascitur, satis intelligitur, quot motus seu mobilia sunt, totidē esse motores, natura sempiterni, ac per se immobiles, quorum hic est primus, ille secundus, alius tertius: quippe cum motores sic se habeant, vt ea quæ ab ipsis mouētur. Ac sensum quidem dictorū explicuimus. Quod vero ad dictionē attinet, cum ait. (quia de pluralitate nihil dixerunt, quod & planum dicere) circūloquutio est, quæ æquipollet huic. de multitudine autem nihil tradidere. Quibus commemoratis, spherarum numerū explicaturus, quoniā simpliciter & absq; demonstratione quinq; eas & quinquaginta esse dicet, causa cur hoc numero sint, alio in loco ab ipso reddita, sic ait. (Multitudinem autem) Iam lationum ex Astrologia, quæ scientiarum mathematicarum philosophiæ familiarissima est, considerare oportet. quasi dicat, Nos hoc in loco spheras quinq; & quinquaginta citra demonstrationem esse dicimus, vt ex his mouentium quoq; numerum inuestigare valeamus. Nec enim nobis nūc propositum est, vt quot numero sint spheræ, demonstremus: cuius demonstratio, si quis eam scire desideret, ab Astronomia petenda est. Sed vbi ab Astrologia, quæ philosophiæ familiarissima est, petendū esse dixit, spheræ quo numero habeantur, cur ante cæteras doctrinas mathematicas Geometriam & Arithmetica Astrologia sit philosophiæ familiarissima, causam reddit, dicens. (Hæc enim contēplationem de substantia sensibili quidē, sempiterna tamē facit) cum interim Geometria magnitudinum accidētia cōtēpletur, Arithmetica numerorū. & quia supra spheras cōplures esse dixerat, adijcit (lationes itaq; plures esse, & ijs etiam patet, qui mediocriter mathemata tetigere) complures igitur esse certū est. Quot autem hæ lationes seu spheræ sunt (nos dicimus ex quorundam mathematicorum sententia) designat autem Eudoxum & Callippum. (comprehensionis gratia) & vt ipsarum multitudo definiatur, vt ex ijs via & ratione ad mouentium causarum inuentionem perueniamus. Neq; vero, inquit, in ijs acquiescendum est, quæ sunt a maioribus tradita de spherarum multitudine, sed aliquid nobis inquirendum & inueniendum: cæterorum quoq; qui de ijs inquisiuerunt, scripta excutiēda sunt. & siquid ab ijs qui sunt in hoc studio versati, aliquid dictum esse videbitur, præter hæc quæ nunc a nobis dicuntur, par erit vt posteritum nobis, tum etiam prioribus gratiam habeant, quippe quorū


Astrologia  
philosophiæ  
familiarissima.

Spheræ, seu  
lationes  
quot sint.

studio nonnihil sit adinuentum. fides autem ijs erit adhibenda, qui de his accuratius differuerint. Hęc præfatus, Eudoxi & Calippi de sphaeris earumq; numero placita commemorat, & accepto Calippi additamento quo sphaerarum numerum adauxit, nam Eudoxus sex & viginti omnes esse statuit, Calippus tres & triginta, ipse vigintiduas alias adijcit.


Eudoxus itaq; lationē vtriusq; Solis inquam ac lunæ, in tribus esse sphaeris ponebat, quarum primam eam esse dicebat, quæ non vagantium est stellarū. Secundā vero per eum circulum qui per media signa transit. Tertiā per eum qui est obliquus in latitudine ipsorum signorū. In latitudine autem maiore circulum eum esse obliquū per quem luna, quam eum per quē Sol fertur. Vagantiū vero stellarū vniuscuiusq; lationē in quatuor sphaeris esse ponebat, atq; harū primam quidem & secundā eandem quā ille rationem subire. nam & eam quæ non vagantium est stellarū, quæ omnes defert, & eam quæ sub hac collocatur, atq; per eum circulū qui per media signa lationem habet, communem omnibus esse. Tertiæ vero omnium eo in circulo polos esse, qui per media signa transit. At quartæ lationē per obliquū ad mediū circulū huius esse. Tertiæ vero sphaeræ polos cæterarū quidē stellarū proprios, Veneris autē atq; Mercurij eosdē esse ponebat.

31 Eudoxus itaq; lationē vtriusq; Solis inquam & lunæ, in tribus esse sphaeris ponebat. quot numero sphaeras esse, & quomodo, & quā ob causam moueri Eudoxus & Calippus voluerint, ac post ipsos Aristoteles, in secundo libro de cælo post dictionis enarrationem ab eo loco, (Præterea ob hoc cæteræ quoq; sphaeræ vnum corpus habent, vsq; ad illam (omnis autē definiti corporis potētia finita est) accurate ac diligenter exposuimus. Quinetiam hunc locū (Eudoxus itaq; lationē) vsq; ad illud (multitudo igitur sphaerarum sit tanta) illic magna ex parte enucleauimus. vnde huius loci enarrationē, si cui est cordi, petere licet. Sed quoniam nonnullæ dictiones illic non fuerūt enarratæ, earum expositio non est hoc in loco prætermittenda. Cum ergo primū ait, (Quarum primam esse dicebat non vagantium stellarum) non dicit illi inerrantem primā videri, quanquam ea prima sit, sed quod ait, huiusmodi est. Cum Eudoxo sphaeras Solem ferentes tres esse placeat, prima quæ duas alias complectitur, quæq; eodem quo inerrans motu fertur, ab ortu scilicet ad occasum, propter causam a nobis in libro de cælo redditam, hæc inquam prima vel vt inerrans præ cæteris duabus ab ipsa contentis Eudoxo putabatur. Nec vero hanc tantum Solis, sed etiam Saturni, & Iouis, & aliarum stellarū cuiusq; primas & maiores, inerrantes appellabat, vt prima in qua stellarum quæ signa scribunt, multitudo continetur, sit vna inerrans, altera Saturni, alia Iouis, & quæ sequuntur, quas Theophrastus anastros, id est sine astris nuncupabat. (Tertiam inquit per eum qui est obliquus in latitudine ipsorum signorum) circulum obliquum in latitudine signorum vocans, vt in libro de cælo exposuimus, eum circulum, quem Sol dum ab ea sphaera cui affixus est, defertur, suo centro describere videtur: qui etiam solstitia refugere idcirco videtur, quoniam cum Sol efficit solstitia, non semper ab eisdem locis exoriri cernitur. Quod vero ait, (in latitudine autē maiore circulum eum esse obliquum, per quem luna, quæ eum per quē Sol fertur.) huiusmodi est. latitudo obliquitatis circuli quæ luna suo cetro describere videtur, maior est latitudine obliquitatis eius circuli, quæ Sol videtur describere. Quod hinc obseruatū est, quoniā nō ex eisdē locis Sol & luna exoriri notātur in suis cōuersionibus. Sit em̄ circulus finitor a g b c m d. equinoctialis vero d e b. obliquus autē in signiferi latitudine centro Solis descriptus, a e c. Rursus Lunæ cetro cōfect⁹, g e m. Exoriatuq; Sol cū solstitiū estiuū cōficit, a signo a. cū æquinoctiale describit, a pūcto d. Nō est dubiū, quin maior latitudo sit d a circūferētia. Luna vero cū conuersionē ad Aquilonē facit, a pūcto g exoriatu. Perspicuū est maiore latitudinē obliquitatis ipsius esse g d circūferētiā, quæ quidē maior est quā circūferētia d a, quæ maior latitudo erat Solis obliquitatis. Hoc igitur significatur verbis illis (in latitudine autē maiore circulū eū esse obliquū per quē luna, quæ eū per quem Sol fert. Tertie vero, inqt, omniū eo in circulo polos esse, q per media signa trāsit. i. tertia quæq; sphaera polos habet in circulis qui p media signa ab astrorū cæteris describuntur.



At Calippus positionem quidem sphaerarum eādem quam & Eudoxus ponebat, id est ordinem distantiarum, altitudinem vero stellæ quidem Iouis atq; Saturni eandem quam & ille tribuebat, Soli autem atq; Lunæ duas insuper sphaeras addendas esse censebat, si quispiam ea quæ apparent, debeat assignare. Reliquarum vero vagarum vni cuiq; vnam. quòd si debeant omnes cōpositæ ea quæ videntur reddere, in vnaquaq; stellarum vagantium alias sphaeras vna pauciores esse quæ reuoluunt, in idemq; restituūt positione primam sphaeram eius stellæ semper quæ sub ipsa est collocata, necesse est. Hoc enim pacto duntaxat vagarum latio stellarū omnia facere potest. Cum igitur cæ sphaeræ in quibus ipsæ feruntur, aliæ sint octo, aliæ vigintiquinq;

At Calippus positionem quidem sphaerarum eandem quam Eudoxus ponebat, id est ordinem distantiarum. Sensus est, quas primas & secundas sphaeras esse tradebat Eudoxus, eas Calippus quoque primas & secundas appellabat. Et quantum interuallum Eudoxus inter Saturni exempli gratia & Mercurij sphaeras interiectum esse volebat, tantum intercedere placebat Callipo. Quod vero inquit, (In vnaquaque stellarum vagantium, alias sphaeras vna pauciores esse quae reuoluunt) huiusmodi est, cum sphaera quae Saturnum ferunt, sint quatuor, quae ipsum reuoluunt, tres sunt. nam tres vna pauciores sunt, quae quatuor. Rursus cum sphaerae, per Calippum, quae Martem ferunt, sint quinque, reuoluentes quatuor sunt. quatuor enim vna superatur a quinque. & in caeteris eodem modo. Reuoluentium autem sphaerarum adiectio ad quem usum Aristoteli accommodetur, in libro de caelo explicatum est. Quod vero ait (in idemque restituunt positione primam semper sphaeram eius stellae quae subter est collocata)



circulis quibusdam descriptis planum fiet. Sint enim tres circuli, vnus a b. alter d e. tertius z g. sitque stella exempli causa Iupiter in z g. quae quidem stella notetur signo k. sit autem a signum quoddam. item d & z atque b e g, quae non sint stellae, sed signa tantum esse intelligantur. tum a & d & z in eadem linea recta collocentur, & eodem modo b e g. Moueaturque a b sphaera ad signum b. vt a illuc perueniat, vbi est b. sphaera vero d e, & alia z g pari velocitate moueantur ad d z versus, sic demum vt e g ad d z signa perueniant. Cum ergo e d & g z sphaerae pari velocitate voluantur, haud dubie motus g z sphaerae duplo maior fuerit, quam motus e d sphaerae: quoniam quantum est motus g z sphaerae, tantum ei adijcit motus sphaerae e d, propterea quae sic ad eadem feruntur, vt quo tempore e peruenit ad d, in eodem g pertransiens totum circumferentiam g z rursus ad g peruenitur esset, nisi sphaera a b aduersa ipsi d e ferretur, eaque trahens ad b proprium motum tribueret sphaerae z g, alium scilicet motum, quam quo ipsa mouetur. Itaque a b impediens d e, eandemque ad b trahens, impedit z g. quamobrem circumferentia z g semper eundem situm seruabit ad a b. ergo cum g venerit ad z, & z fuerit vbi nunc est g, tunc a perueniet ad locum vbi nunc est b. ipsum vero b, vbi nunc a. eruntque in eadem linea recta a z

& b g signa. & cum exorietur a, tunc z quoque exorietur. ac vicissim cum b occiderit, tunc occidet quoque g. Neque vnquam ante vel exorietur, vel occidet, quam a z. quod ipsum vsu veniet etiam si a b & g z sphaerae eadem versus loca ferantur, sphaera vero d e reuolvens esse intelligatur. hoc est igitur quod ait (in idemque restituunt positione primam sphaeram eius stellae semper quae subter est collocata.) vt sit sensus. sphaerae reuolutes sic moueri intelligantur, vt sphaerarum quae Iouem ferunt, primam & extremam semper eundem situm seruare cogant ad eam sphaeram cui stella est applicata: nec signa quae in prima sphaera sumuntur, praecurrant ijs quae sumuntur in sphaera cui stella est alligata, sed exoriantur semper & occidant simul. Illud autem (cum igitur eae sphaerae in quibus ipsae feruntur, aliae sint octo, aliae viginti quinque.) in hunc sensum accipi debet. Itaque secundum Calippum octo sunt sphaerae Solis & lunae: aliorum vero, id est Saturni, Iouis & caeterorum, viginti quinque. Nam quod paulo ante dixerat (Soli autem atque lunae duas insuper sphaeras addendas esse censebat) perinde est ac si diceret, vtrique singulas. Nam cum Eudoxus Solis & lunae sphaeras sex esse dixisset, Calippus vero octo, haud dubie illis singulas adiecit, & eodem modo caeteris stellarum sphaeris singulas apponebat. Nam cum Eudoxi sententia caeterarum quinque stellarum cuiusque quaternas numeraret, hic quinas esse asseuerabat.

Harum autem eas solas reuolui non oporteat, in quibus infima collocata stella deferretur, eae quidem quae primarum stellarum duarum sphaeras reuoluunt, sex erunt: eae vero quae posteriorum quatuor stellarum sphaeras reuoluunt, sedecim erunt. omnes igitur sphaerae & deferretes & reuolutes eas, quinque erunt & quinquaginta. Quod si lunae Solive quispiam eos non addiderit, quos diximus motus, omnes sphaerae quadraginta erunt & nouem.

Harum autem, inquit, eas solas reuolui non oportet, in quibus infima collocata stella deferretur. id est, solas eas quae lunam ferunt, haec enim stellarum infima est, non oportet habere reuolutes. (Eae quae primarum stellarum duarum sphaeras reuoluunt, sex erunt) id est, reuolutes Saturni & Iouis sex erunt. Nam cum sint quatuor quae Saturnum ferunt, quatuor item quae Iouem, oporteatque in vnaquaque sphaera reuolutes vna esse pauciores, sex nimirum fuerint Saturni & Iouis reuolutes, caeterorum autem quatuor: Martis, Veneris, Mercurij, Solis quaternae, cum ferentes cuiusque quinque sint: prorsus vt omnes reuolutes sint bis tres Saturni & Iouis, quater quatuor Martis, Veneris, Mercurij, & Solis, omnes scilicet duo & viginti. Cum sint autem ferentes octo Saturni & Iouis, quinque reliquorum viginti & quinque, si haec tres & triginta coniungantur cum vigintiduabus reuolutes, summa colliget quinquaginta quinque. Ferentes enim lunam, vt supra diximus, non indigent reuolutes, propterea quod luna extrema est. Hoc est enim quod Aristoteles ait, (Harum autem eas solas reuolui non oportet, in quibus infima collocata stella deferretur) Quod vero adiecit (quod si lunae & Soli quispiam eos non addiderit, quos diximus motus, omnes sphaerae quadraginta septem erunt.) id demum cuncta perturbat. Si enim duae Solis, & duae lunae, quas Calippus adiecit, auferantur, & aliae scilicet duae a Sole, quae illas reuoluunt (illis enim sublati eas quoque tolli oportet, quae ipsas reuoluunt) sex erunt quae auferuntur, duae quae Solem ferunt, & duae quae has reuoluunt, praeter duas quas lunae Calippus adiecit. At si haec ex quinquaginta quinque demantur, non



superfunt quadragintaseptem, sed quadragintanouem. vtrum oblitus est Aristoteles lunæ non quatuor, sed duas esse ablatas: an quatuor Soli dempsisse putari debet: quas ipse reuoluentes addiderat, vtrique autem, id est Soli & Lunæ, quas adiecerat Calippus. vt octo ad hunc modum ex quinquagintaquinque sublati, quadragintaseptem supersint, quot Aristoteles enumerat. sed fortasse, vt Soligent placet, putare satius est librariorum culpa commissum esse vt pro nouem, septem fuerit scriptum, quæ earundem sphaerarum numerum commutare.

Multitudo igitur sphaerarum sit tanta. Quare & substantias ipsas, & principia immobilia, atque etiam sensibilia tot esse existimare consentaneum est rationi. necessarium enim iis omittatur, atque ij dicant qui exactius de hisce differere possunt.

34 Multitudo igitur sphaerarum sit tanta. quare & substantias ipsas, & principia immobilia. ) Sphaerarum numero commemorato, quas per Eudoxum omnes 26. per Calipum trigintatres esse docuit, per suum vero inuentum 55. demonstrato præterea vnum & simplicem ac sempiternum motum ab vno simplici eodemque indiuiduo motore manare, fortiter asseuerat, quot numero sint sphaeræ, ac substantiæ sensibiles, totidem substantias & principia immobilia putare par esse. Cæterum quoniam commemorauerat tantum, non etiam demonstrauerat sphaeræ esse 55, & par esse dixerat immobiles substantias totidem numero esse putare, idcirco subiungit. (Necessarium enim iis omittatur, atque ij dicant qui exactius de hisce differere possunt.) quali dicat, nos sphaeræ quinquagintaquinque esse commemorantes, non necessario tot esse dicimus. si qui tamè exquisitius accuratiusque quam nos differuerint, horum munus erit, quod necessario verum sit, non quod probabiliter, vt nos, edocere. professio nimirum digna philosophi grauitate. Sed querat aliquis quænam sunt hæc causæ efficietes sphaerarum, de quibus hoc in loco verba facit, vtrum animæ, ipsarumque formæ, an non: propterea quod ipsæ animæ non sunt dii. Nam cum sphaerarum formæ sint, in ipsis habentur, ipsasque in orbem agitant per mediam naturam, cum vnus idemque sit motus. Neque enim aliud est animæ motus, aliud naturæ, & sphaeræ a naturaabilitas quædam naturalis inuicta & ipsi formæ accommodata suppeditatur, ab anima vero actus transeundi, ad quem per naturam sunt procliuus. Non igitur sphaerarum animas dicit, sed alias substantias quæ corporis expertes sint, tanto primo intellectu inferiores, quanto sphaeræ, si licet sic loqui, inferiores inerrante sunt, sphaerarum tamen animis superiores. Itaque sphaeræ a proprijs animis, vt expositum est, mouentur, ab huiusmodi autem dijs, quemadmodum inerrans a primo intellectu, quæ infinito motu a motore primo ciatur. Neque enim inerrantis anima causa est infiniti motus, neque ab ipsa vt sine fine moueatur habet, sed a motore primo: quandoquidem vt motus cælo ab anima suggeritur, sic illud ab immobili & intelligibili causa contingit, vt semper secundum eadem, eodemque modo, & circum eadem, & in eodem moueatur, & cetera huiusmodi. Vt igitur cælum a motore primo mouetur, sic vagæ sphaeræ a suis motoribus, qui singuli perfectionem & bonitatem a primo motore accipiunt, maiorem prout ab eo quisque propius abest. motori enim sphaeræ Saturni perfectio a primo motore largius quàm Solis motori suppeditatur. quorum similem rationem in cæteris intelligere conuenit. Huiusmodi autem motrices causæ optimæ quidem appellatur, non tamen quemadmodum prima causa, & ea ex qua ipsæ dependent. Illa enim omnes sui perfectiones continet, ipsisque redundat. hæc vero ad illam conuertuntur, eiusque bonorum largitate completur, sed optimæ nuncupantur, sphaeris quas mouet comparatæ, quippe a quibus hæc vt optimæ desiderantur, expetunturque. quod enim quisque desiderat, id eius vt optimi amore flagrat. Itaque honoratissimus intellectus simpliciter optimus perinde nuncupatur, vt primum cælum magnum simpliciter dicitur. hæc vero dicuntur optimæ præ sphaeris, quæ mouentur: vt hæc magnitudo decem cubitorum, exempli gratia, magna dicitur, vel maior, non simpliciter, sed cum duorum aut quinque cubitorum magnitudine comparata.

Quod si fieri nõ possit, vt vlla sit latio, quæ non ad lationem stellæ conducit, & insuper materiã omnem, substantiamque omnem passionis expertem, atque per se, finem optimum nactum esse putare oportet, nulla præter has alia est natura: sed hic sit numerus substantiarum necesse est. nam si sint aliæ, mouet profecto, cum lationis sint finis. at impossibile est præter eas quæ dictæ sunt lationes alias esse. Atque id ex his quæ feruntur, ita esse putare, consonum est rationi. Si enim omne quod defert, eius est gratia quod defertur, omnique latio cuiuspiam est quod fertur, nulla latio sane aut sui gratia, aut propter lationem aliam erit, sed ipsarum stellarum gratia. nam si latio lationis gratia erit, & illam alicuius esse gratia oportet. Quare cum in infinitum profectio nequeat esse, lationis sane cuiusque finis quippiam diuinorum corporum erit, quæ in ipso cælo feruntur. Atque cælum vnum esse, perspicuum esse videtur. nam si plures sint cæli perinde vt homines, principium id quod cuique accommodatur, specie quidem vnum erit, numero autem plura. sed quæ sunt numero plura, ea materiã habent. Vna enim est ratio eademque multorum, vt hominis. Socrates autem vnus est. at qui-

ditas prima, materiei est expertes. est enim actus. id ergo quod primum mouet, vnum est & ratione & numero, nullo modo subiens motum. & id ergo quod semper continueque mouetur, vnum est solum. vnum ergo tantummodo cœlum est.

Quod si fieri non possit, vt vlla sit latio, quæ non ad lationem stellæ conducat.) Dixerat totidem 35  
 motores numero intelligi oportere, quot sint ea quæ motu agitantur: sed quoniam cuiuspiam nihil obesse  
 esse videri posset, quo minus quæpiam aliæ substantiæ corporis expertes per se sint, quæ nulli motu  
 afferant, quod si fieri possit, non fuerit consentaneum, quot mobilia sint, tot esse substantias incorpo-  
 reas, non plures neque pauciores: idcirco tacitæ huic obiectioni respondet, dicens. Si ergo quidquid op-  
 timum finem est sortitum, id optimum est, & optabile. omnis enim deus optimus est, licet non sic vt  
 primus deus, nimirum aliquid sit necesse est, quod illud exoptet, cum omne optabile, cuiuspiam opta-  
 ti optabile sit. si ergo sunt aliæ quædam optimæ substantiæ, estque optimum quodque desiderabile, vt  
 sint illæ desiderabiles necesse est, ac proinde sint aliqua quæ ipsarum desiderio afficiantur, & propter  
 ipsas moueantur. Porro si qua sint quæ moueantur, fuerint etiam ipsorum motus. nihil enim sine mo-  
 tu mouetur. At præter quinquagintaquinque motus nullus alius habetur, ergo neque mobilia vlla præ-  
 ter hæc, ac proinde ne motores quidem. Argumentatur autem hypothetice, dicens (quod si fieri non  
 possit, vt vlla sit latio, quæ non ad lationem stellæ conducat) & subaudiendum est, profecto nullus erit  
 alius motus. si enim esset, nequiquam esset. vt his verbis præter commemoratos nullus esse motus as-  
 seratur. quod si verum sit, nulla sint alia mobilia, ac proinde motores nihilo magis. si nulla igitur la-  
 tio est, quin ad stellæ lationem conducat, spherarum enim tum ferentium stellas, tum reuoluentium  
 omnes lationes faciunt ad stellæ circumactum, omnes autem lationes ad stellarum lationes facientes,  
 hoc numero habentur, nec vlla desideratur, præter ipsas igitur nullus alius est motus, quippe si sit, fru-  
 stra sit. At frustra nihil neque a deo efficitur, neque a natura. Porro si nullus est alius motus, nihil est  
 quod moueatur, nihil quod moueat. Itaque huiusmodi argumentatio ex eo quod nullum esse alium mo-  
 tum ostendit, nullam esse aliam substantiam concludit. Quod vero ait, (Et insuper si naturam omnem  
 & substantiam omnem passionis expertem) huc præcipue pertinet, vt non esse alias substantias de-  
 monstratur. est autem sensus. Præterea si omnem substantiam per passionem immunem, & per se hoc  
 est incorpoream huiusmodi esse putare conuenit, optimam scilicet, desiderabilem, atque finem rationem  
 obtinentem, utique præter eas quas enumerauimus causas motrices, nulla erit alia natura, sed vt omnes  
 quinquagintaquinque sint necesse est, prima causa non annumerata. Si enim aliæ ab his essent substā-  
 tiæ, mouerent utique, cum essent necessario finales & optabiles causæ futuræ. hoc enim est quod ait,  
 (cum lationis sint finis) optabile namque finis est lationis, quæ ob ipsum efficitur, vel omnino motus.  
 At fieri non potest vt præter commemoratas lationes aliæ sint. cuius causam suggerit. si enim alia  
 sit latio, ea vel corporis quod fertur gratia erit, vel certe alterius lationis. At si latio lationis gratia sit,  
 vel eiusdem lationis gratia erit, exempli causa ambulationis gratia, quod ridiculum esset. vel alterius,  
 vt motus albedine afficiendi, gratia motionis afficiendi dulcore. quod si detur, motus quoque ad dul-  
 cedinem alterius motus erit gratia. & hoc in infinitum progredietur. Superest igitur, si qua latio præ-  
 ter commemoratas sit, vt corporis ferendi gratia existat. At habentur omnes quæ ad ferendorum cor-  
 porum lationes faciunt. nulla igitur latio alia a prædictis est, ac proinde nulla alia immobilis & in-  
 corporea substantia extra quem diximus numerum. Quæ igitur ab Aristotele dicuntur, huiusmodi  
 esse reor. Dicitio autem quæ ait (sane cuiusque finis quidpiam diuinorum eorum corporum erit, quæ in  
 ipso cœlo feruntur) æquipollet huic, omnis latio circularis pro fine astrum quoddam habet, & gratia  
 illius efficitur. Cuius enim gratia quidquam efficitur, id finis est eius quod efficitur. Quibus expositis  
 cœlum mundumque vnum esse docet. qui enim primam causam vnam esse docuerit, is vt querat ne-  
 cessarium est, substantia quæ ab ipsa agitur, & sempiterno motu ciatur, vna sit, an plures? si ergo,  
 inquit, mundus specie vnus est, numero non item, sed plures, vt Socrates, Plato, Callias, nimirum quot  
 mundi sint, totidem erunt optima per se, & proprie optima. Vnius enim & continenti ac sempiter-  
 no motu agitati vnum esse motorem demonstratum est. itaque prima principia, & proprie optima  
 plura fuerint numero, specie eadem. Qua enim animalia, qua sempiterna, qua optima sint, nihil in-  
 ter ipsa discrepabunt: vt ne Socrates quidem & Plato in eo quod homines sunt. Ita fiet, vt animalia  
 sempiterna optima numero complura sint, specie vero eadem. At quæ specie eadem sunt, numero di-  
 uersa, ijs discrimen a materia contingit: vt in singulorum hominum inter ipsos differentia notare li-  
 cet, quam proculdubio a materia obtinent: quippe quorum formæ per quas homines sunt, nullo dis-  
 crimine discernantur. cui similis est equorum ratio. Primum autem & optimum materia vacare, &  
 actu esse, demonstratum est. non sunt igitur complura animalia sempiterna optima, ac proinde ne mū-  
 di quidem complures sunt. In dictione vero quæ ait, (vna enim est ratio eademque multorum, vt ho-  
 minis) vna pro altera dictum est. altera enim est ratio hominis in eo quod homo est, (Socrates ve-  
 ro vnus) id est, altera vero Socratis in eo quod Socrates est. quo posito, si primæ causæ complures sint,  
 altera erit vniuscuiusque ipsarum ratio in eo quod indiuiduæ sunt, & particulares, ac proinde compo-  
 sitæ fuerint, & materiæ compotes. altera speciei quæ de ipsis communiter prædicatur. quod fieri non  
 potest. (At quiditas prima, materiæ est expertes) id est, prima forma, & ratio, actusque, ipsum dico ani-  
 mal sempiternum optimum materia vacat.

Frustra ni-  
hil neque a  
deo neque a  
natura effi-  
citur.

Optabile,  
lationis fi-  
nis.

Hominū  
inter se dif-  
ferentia a  
materia  
prouenit.

Mūdi non  
sunt com-  
plures.

At vero tradita quædam sunt a veteribus & vehemēter antiquis, modoq; fabulæ posteris relicta, deos esse inquam hos, & ipsum diuinum totam continere naturam. Reliqua vero fabulose iam sunt allata ad persuasionem vulgi, atq; ad vsum legum, vitæq; humanæ utilitatem. nam formam humanam his tribuunt, similesq; quibusdam animalium esse dicunt, atq; alia complura, quæ ex his emergunt, similiaq; sunt dictis, insuper afferre videntur. a quibus si quispiam primum illud separauerit, solūq; sumpserit separatum, primas inquam antiquas illas substantias deos esse existimare, putabit diuine dictum fuisse sane, atq; (vt verisimile est) sæpe quod fieri potest vnaquaq; arte, sciētiaq; inuenta, rursusq; occidente, has quoq; illorum opiniones vsq; ad hanc nostram tempestatem veluti reliquias peruenisse, cōseruatas fuisse censebit. Opinione igitur patriæ, & quæ a veteribus primisq; nobis est tradita, hoc tantum nobis est manifestum.

36 At vero tradita quædam sunt a veteribus, & vehementer antiquis, modoq; fabulæ posterioribus tradita. Postq̄ docuit deos esse, & tot esse numero, quot sphæras, qui ex diuinissima optimaq; substantia pendeant, eique subiecti sint, & quibus ab illa vt optimi & sint & habeantur suggeratur, sic ait. Neq; vero ipsi tantum in hac de dijs sententia sumus, sed a veteribus etiam priscisq; hominibus in figura fabulæ, accepimus deos esse, non alios per fabulas significantibus, q̄ hos qui a nobis afferuntur. Sunt igitur dii, diuinæq; multitudo, quæ vniuersam naturam omnemq; mundum continet. continet autem nō corporis more, vt modius grana tritici (deus enim partibus vacat) sed vt gubernator, & bonorum largitor, quiq; ordinem mundo, quo digestus est, & ornamentū, quo decoratur, semper suppeditet. Sed cum docuisset, quæ veteres in fabulæ figura posteris tradidissent, causam suggerit cur antiquitas de dijs fabulose quædam tradiderit, dicens (Reliqua vero fabulose iam sunt allata, ad persuasionem vulgi) quasi diceret, hoc tantum aperte prodidere, esse scilicet deos, reliqua vero quæ de ipsis dixerunt, vt Iouem ex Saturno & Rheā fuisse procreatū, & cætera fabulose commenti sunt ad vulgo fidem faciendam, vsumq; legum, breuiter ad mortalium vitæ utilitatem. Intelligebant videlicet viri sapiētes popularibus cōuentibus & cōiuijs homines fieri humaniores, mutuaq; concordia & benevolentia conciliari, prorsus vt alij pro alijs mortis discrimina subirēt. quæ res constituunt continentq; ciuitates. solitudine contrā efferari alienariq; inter ipsos, & alterum alteri necem moliri. ac idcirco conuentus & comestiones instituire volentes, fabulas commenti sunt, Iouē exempli causa ex Rheā hodie fuisse progenitum, ac idcirco pium esse, vt omnes cōueniant, deiq; natalē diem agant, atq; simul epulentur. Neq; illud temere aut inutiliter confictum est, deos humana forma consistere, sed vt homines a mutuis vulneribus deterreantur, memores videlicet, qui hominem lædit, hūc diuinam formam lædere, iniuriæq; afficere. Quin etiam aliorum quorundam animalium figuras nō sine humani generis emolumēto dijs tribuere. Nam cum Aegyptiorum regio adeo serpentibus scateat, vt nulla maior pestis incolas soleat infestare, prouida natura deusq; malorū depulsor aues qualesdam illuc immisit ibes appellatas, quæ serpentes interimunt. quamobrem Aegyptiorum sapientes, vt homines Aegyptios ab interficiendis huiusmodi auibus suæ gentis cōseruatricibus detererent, neq; enim deerant qui eis mortem molirentur, lege cauerunt, ne cui liceret Aegyptiorum ibim interimere, subiecta causa, quod dii si quibus apparerēt, in ibium forma sese eis ostenderēt. (A quibus inquit Aristoteles, id est ab his omnibus quæ de dijs fabulose traduntur, (si quis primū illud separauerit) quas scilicet nos primas substantias deosq; vocamus, eas illos quoq; deos esse censuisse (putabit diuine dictum fuisse sane) sed quemadmodum, inquit, sæpe, vt credibile est, amissis artibus alluuiorum iniuria, deletisq; disciplinis, aliquæ tamen ipsarum reliquiæ perstiterunt, ex quibus rursus artes & disciplinæ quoad fieri potuit reparatæ ac inuentæ sunt, sic eius sententiæ, quam prisci homines de dijs habuerunt, qua scilicet deos esse sentiebant, extant etiamnum reliquiæ quædam. Sed ex huiusmodi reliquijs, eaque opinione quam a patribus accepimus, hoc, inquit, tantum nobis est manifestum, illos scilicet deos esse putasse.

De ipsa vero mente dubitationes quædam existunt. nam omnium eorū quæ videntur, diuinissimum esse videtur. At quonam modo sese habens ipsa talis erit, quædam difficultates existunt. Etenim si nihil intelligit, sed ita sese habet, vt is qui dormit, quidnam ipsius excellens, quid egregium erit? Sin intelligit, huius vero est aliud auctor (non est enim id quod est ipsius substantia, intellectio, sed potentia) non erit substantia optima. per intellectionem enim, & quia intelligit, præstabilitas ipsi nimirum competit atq; inest. Præterea siue intellectus, siue intellectio sit ipsius substantia, quid intelligit? Aut enim aliud quippiam, aut seipsam intelligit. & si quippiam aliud, aut idem semper, aut aliud aliudq; intelligit. Interest ne igitur, an nihil refert, bonū, an quoduis sine discrimine villo intelligat? an & absurdum est de quibusdam intelligere? Patet ipsum igitur id quod di-

Deos esse.

Fabulosa  
multa circa  
deos.Deos humana  
forma consistere  
quare fictū  
ibes aues.Aegyptiorum  
dij.

uiniſſimum eſt, omniumq; præſtantiffimū, intelligere, ac non mutari. Ad deterius enim eſſet ipſa mutatio, atq; id ipſum iam motio quædā eſſet. Primum igitur ſi non ſit intellectio, ſed potentia, conſonum eſt rationi, cōtinuationem intellectioſis ipſi laborioſam eſſe. Demum patet aliquid aliud quàm mentem id eſſe, quod eſt præſtabilius, ipſum inquam quod intelligitur. Præterea ipſum intelligere, ac intellectio ipſi inerit deterrimū quoq; intelligenti. Quare ſi id eſt fugiendum, præſtat enim nō videre aliqua, quàm videre, non erit ipſa intellectio id quod eſt optimum. Se ipſam ergo intelligit, ſi eſt optimum omnium: atq; intellectio, ipſa intellectioſis eſt intellectio.

Intellectus quomodo omnium digniſſimus.

Cæterum quæſtio de honoratiſſimo primoque intellectu quaſdam, inquit, controuerſias habet. Nā 37 licet huiusmodi intellectus omnium haud dubie rerū diuiniſſimus optimuſq; habeatur, tamen quomodo ſeſe habens, & cuiuſmodi vitam ducens, optimus ſit, haud ita facile fuerit explicare. quam difficultatem ex partitione declarat. Vtrū intelligat, inquit, an non? Si enim non intelligit, ſed eſt dormienti ſimilis, quid aliud grauius habere poteſt, vel honore vel grauitate dignius? Sin autem intelligit, utrū totus intellectus, & per totū ſe intelligit, an partim intelligit, partim ſecus? ut in anima ſeſe res habet. Neq; enim anima tota intelligit, ſed pars ſolū eius quæ intellectus nuncupatur. Si ergo ad hunc modum intelligit, profecto non tota eius ſubſtantia optima eſt, ſed pars illa qua intelligit: ut anima hominis non eſt omnis honore digna, ſed intellectus, & pars rationis compos, per quam intelligimus. at non omnem eius ſubſtantiam optimam eſſe abſurdum eſt. (Sin intelligit, inquit, huius vero eſt aliud author) id eſt, ſed ſi intelligit, nec omnis eius ſubſtantia eſt intellectus, ſed huius, id eſt intelligendi aliud eſt author, ut in nobis uſu venit. neq; enim anima cauſa eſt, & author, ut nos intelligamus, ſed intellectus. ſi ergo intellectui aliud eſt author intelligendi (non eſt enim id quod eſt ipſius ſubſtantia, intellectio) id eſt, neq; enim fieri poteſt, ut eius ſubſtantia ſit intellectio & intellectus, ſiquidem non omnis eius ſubſtantia, ſed pars quædam ipſius intelligit, profecto non erit optima ſubſtantia ipſius: ſed pars illa optima erit, per quam intelligit. Cuius rationis cōcluſio eſt huiusmodi, ſi nihil intellectus intelligit, quid aliud præſtantius habere poteſt, cum ſit nihil, quod intellectioſi contemplationi; anteferatur? Sin intelligit quidem, nō tamen omnis eius ſubſtantia intellectioſi eſt & intellectus, ſed aliud illi cauſa & author eſt intelligendi, cum nequeat tota eius ſubſtantia eſſe intellectus, ſi quidem non totus intelligit, ſed ex parte quadam, ſi hæc ergo ſi ſe habent, utique primus intellectus non erit optima ſubſtantia. quod eſt impoſſibile. Ergo ne illud quidem fieri poteſt, unde hoc conſequebatur, id eſt ne totus intelligat, neue tota eius ſubſtantia ſit intellectus. Præterea, inquit, ſi tota eius ſubſtantia, ut oſteſum eſt, intelligit, eſtq; vel intellectus, vel intellectio, quid nam intelligitur? Aut enim ſeipſum intelligit, aut aliud quidpiā: & ſi aliud, vel ſemper idē intelligit, vel modo hoc, modo illud. Porro ſi aliud alias intelligit, utrū bona ſunt omnia quecunq; intelligit diuerſis temporibus, an quæuis etiam uiliſſima quæq; ab eo intelligi ſtatuendum eſt: nec intereſt, abiecta ne vel mala intelligat, an oppoſita? Aut hæc igitur conſtituere oportet, aut conſiteri, quemadmodum in nobis abſurdum eſt, nec quiſquam recte uiuens de quibuſdam rebus conſiderare ſuſtineret, ut de concubitus modo cōmodiſſimo, ſic nefas eſſe affirmare diuiniſſimam eandemq; optimam ſubſtantiam quæuis abſq; delectu etiam deſpicatiſſima quæq; cōtemplari. ut dubium eſſe nō debeat, ab ipſo non malum aut uile quidpiam, ſed quod diuiniſſimum eſt, & ſummo honore dignū, intelligi. huiusmodi autē eſt ipſe intellectus. ſic igitur ipſum intelligit, nec a ſe intelligēdo ad aliud intelligendū auertitur. Si enim a ſui contemplatione tranſeat, vel quidq; omnino melius intelliget, vel aliud quid deterius. melius autem nihil eſt. ſuper eſt igitur ut ad deterius. at hoc motus eſſet, ab eiusq; optima vita ſeceſſio. quarum rerum argumentum ex ijs ſumi poteſt, que hominibus uſu ueniunt. homines nanq; boni cum mala contemplantur, ſeipſis ob hanc intellectioſam deteriores efficiuntur, quod poenitentia conſequens declarat. tunc enim poenitentia ſubit, cum malus quiſquam fuerit effectus. Quod uero ſupra dixerat, ſubſtantiam ipſius intellectū eſſe & intellectioſam, id hoc in loco confirmat, dicens. Primum igitur ſi eius ſubſtantia nō eſt intellectioſa & intellectus, nec in eo ſubſtantia eius conſiſtit, q̄ ſit intellectus & intellectioſa, ſed eſt facultas intellectus, qua intellectus intelligere ualet. aliud eſt enim intellectus, quàm ipſius poteſtas, ut color aliud eſt, quàm coloris facultas, qua ipſe cōſpici ualet: ſi ergo eſt intellectus poteſtas, & ipſe, ut demonſtratum eſt, ſemper intelligit, nimirum ipſum continenter intelligere non ſine magno illi labore contingit. Nam ſi eius ſubſtantia in hoc eſſet poſita, quod eſſet intellectus & intellectioſa, citra ullum laborem perpetuo intelligeret, quēadmodum homini non eſt laborioſum hominem eſſe, propterea quod eius ſubſtantia ſiue eſſentia in eo q̄ ſit homo, conſiſtit. At continenter ingredi, munus eſt homini laborioſum: quippe ſubſtantia ipſius nō eſt poſita in ambulādo. Ut igitur in homine, ſic in intellectu primo ſeſe res habeat oportet, nec ei cum labore intellectioſa perpetua contingat. ſi quidē intellectus eſt & intellectioſa. Cæterum quid nā eſſe cauſe putemus, cur cum intellectus noſtri ſubſtantia in eo ſita ſit, q̄ ſit intellectus, huic tamē laborioſum eſt, continenter intelligere? An intellectus noſter nō eſt actu intellectus, neq; actus, ut ille, ſed poteſtate? Primum igitur, inquit, ſi non eſt intellectus, ſed potentia, continuatio intellectioſis per

Malorū cōtēplatio in hominibus bonis, poenitentia habet.

Intellectus cur nō ſemper intelligat.

laborem ipsi suppetet. Deinde non erit ipse præstans. Illud enim præstantius erit, quod intelligens in actum reducitur, cum sit potentia. quod enim perfectionem affert, & aliquid ex potentia in actum redigit, id præstantius est eo quod perficitur. In dictione vero quæ ait (Etenim intelligere & intelligentia erunt indignissimum intelligenti) verbum præterea mihi desiderari videtur, ut sit principium alterius argumentationis ad confirmandum primam causam non esse potentiam. itaque verbum etenim, pro præterea dictum esse reor: ut plena oratio sit huiusmodi (præterea intelligere & intellectio erunt indignissimum intelligenti) quæ quidem demonstratio innititur illo pronunciato, contrariorum eadem est potestas. est igitur sensus. Ad hæc nisi eius substantia sit intellectio & intellectus, sed potestas, est autem eadem atque una contrariorum potestas, nimirum primæ causæ optima quæque intelligenti usu veniet, ut pessima quæque intelligat. quod est absurdum. Cum igitur pessimorum intellectio tuenda sit, quippe quæ ignorare satius est, ut turpissima non cernere, quam eadem videre præstantius, cumque ex eo quod prima causa potentia esse dicatur, fiat, ut ea mala item intelligat, quod nefas est dictum, profecto prima & diuinissima optimaque substantia non est potentia. Nam cum ait, (Non erit ipsa intellectio id quod est optimum) intellectio pro potentia dictum est. intellectus igitur est non potentia, sed ut optimum intelligit. si ergo cum intellectio sit, seipsum, hoc est intellectioem intelligit, utique intellectio intellectioem erit, id est idem erit intelligens, & quod intelligitur.

Atqui scientia, & sensus, & opinio, atque ratio, semper alicuius esse videtur, quod quidem est aliud, sui vero non ex proposito. præterea si aliud est intelligere, aliud intelligi, utro duorum istorum inest ipsi ratio boni? non est enim intellectioem esse, & eius esse quod intelligit. An in quibusdam scientia res est ipsa? In effectricibus quidem substantia ipsaque quiditas sine materia, in contemplatricibus autem ipsa ratio, ac intellectio. In his igitur quæ materiam non habent, id quod intelligit, intellectusque ipse, non diuersum erit, sed idem, & intellectio eius quod intelligitur, una.

38 Atqui scientia, & sensus, & opinio, atque ratio, alicuius esse videtur, quod quidem est aliud, sui vero non ex proposito. Quoniam quemadmodum sensus & scientia ad sensibilia & scibilia sese habent, sic intellectio ad intelligibilia sese habeat necesse est, idcirco intellectioem rem optimam & maxime diuinam esse testatus, occurrit rationi, qua dicta oppugnari posse cognoscit, quæ huiusmodi est. si scientia alterius est, non sui ipsius: medicina enim non sui, sed sanitatis est, utpote quæ semper consideret, sanitas quæ sit, & quomodo efficiatur, ex accidenti vero quandoque se ipsam contempletur, exempli causa medicinam recte valentium ægrotantiumque & neutrorum artem esse: & eodem modo sensus sensibilem est, & opinio opinabilem: nimirum ut in his sese res habet, sic si diuinissima & optima causa intellectio est, alterius erit non sui ipsius intellectio. Cui quæstioni adiungit aliam, & in priorē posteriorem soluit, quæ posterior quæstio huiusmodi est. si aliud est intelligere, aliud intelligi. est enim intelligere comprehensio attingens intelligibile. intelligi vero, quod intelligitur, id ab intelligente comprehenditur. primus autem intellectus intelligens est, & idem intellectum, ex utro illi summa illa bonitas contingit: utrum quia intelligit, an quoniam intelligitur? (Non enim est idem intellectioem esse, & eius esse, quod intelligitur) id est, non est idem intelligere, quod intelligi. ut appareat non ab re huiusmodi quæstionem proponi. Hæc effatus, priorē quæstionem soluit, dicens in quibusdam rebus scientiam idem esse, quod scibile. Ars enim domus construendæ nihil est aliud quam domus forma. ac eodem modo medicina forma sanitatis. quod si verum est, diuinissimum & optimum si est intellectio, idem erit quod intellectum. Illud autem (in quibusdam) propter composita est adiectum: quoniam ars ædificandi non eadem est atque omnis domus. neque enim eadem est atque domus hæc particularibus ex lapidibus lignisque constituta, sed id quod forma ipsius absque materia intellecta. ex quo soluitur quæstio secundam, quam silentio præterierat, propterea quod eius solutio esset in propatulo. si enim primus intellectus idem est intellectio, idem id quod intelligitur, ab utroque summa illi perfectio suppetit, id est, & quia intelligit, & quoniam intelligitur. In quibusdam igitur, inquit, scientia est res ipsa & scibile. cuiusmodi autem scibile idem sit atque scientia, suggerit dicens. (In effectricibus quidem substantia sine materia) id est substantia & forma absque materia idem est quod scientia. quo in loco scientias effectricibus, abusus scientiæ vocabulo, appellat ædificandi artem, & huic similes. (in contemplatricibus autem) ut geometria arithmetica & similibus (ratio) & quæ sit ratio, adicit (res) ac intellectio idem est. Nam intellectio cur deficit luna, idem est quod causa cur defectus efficitur. porro causa defectus idem est quod ipse defectus. quo fit, ut intellectio defectus idem sit atque ipse defectus. Hæc effatus, velut conclusionem subdit. (non altero igitur existente eo quod intelligitur & intellectu, quæcumque non materiam habent, idem erunt.) cuius sensus est. in proprie intelligibilibus quæ materia vacat, & perfecte sunt, intellectus & res intellecta non diuersa sunt, sed eadem. Nam proprie intelligibilia, ut in quæstione de anima dictum est, intellectus sunt, ac vicissim intellectus intelligibilia. quod si ita est, (intellectio intellectio erit una) id est eadem. quibus aliam quæstionem adiungit, dicens.

Restat igitur dubitatio, si id quod intelligitur, sit compositum. nam in totius partibus intelligendis mutabitur. An id omne est indiuisibile, quod materiam non habet? Atque ut

mens humana, aut compositorum aliquo in tempore sic se habet, sed in quodam toto ipsum optimum habet, quod quidem aliud est ab ipsa, sic sese habet ipsa intellectio sui ipsius omni æternitate.

Restat igitur dubitatio, si id quod intelligitur, sit cōpositum. nam in totius partibus mutabitur.) 39  
 Quæ verba sic debent explicari. Si cōpositum est omne quod intelligitur (quod enim ait, vniuersa liter in omni re quæ intelligitur, accipi debet) nimirum intellectus non momento temporis rem intelligit, sed ab hac eius parte intelligenda ad intelligendam illam mutatur. hoc autem temporis interuallo fit. in alio enim tempore hanc, in alio partem illam intelligit. Quæ quæstionē soluit, dicēs, quidquid materiam nō habet, qualia sunt intelligibilia, id omne est indiuidibile, & partibus vacans, neq; huius generis quidquid est cōpositum. Ad hæc primus intellectus quomodo se intelligat, exponit, non scilicet per tempus, vt exempli gratia in hac temporis parte hanc sui partem intelligat, aliam in illa. tunc enim diuiduum esset. sed cum partibus vacet, in momento experit, si dicere licet, & in diuiduo se intelligit. Nam vt mens, inquit, humana, aut si mauius vniuersaliter dicere, vt compositorum mens: vt igitur mens humana vel mens compositorum sese in aliquo tempore habet, id est, cū opere fungitur, & foelicitate quadam afficitur. tunc enim mens humana non in alia temporis parte hanc optimæ rei partem intelligit, in alia illam, ipsamq; quoad fieri potest contingit, sic enim prima causa diuidua esset, sed rem ipsam optimam, in toto quodam intelligit, hoc est in indiuiduo quodam instanti, ad hunc modum primus intellectus in omni æuo se intelligit, sine partium aut temporis interuallo. sed quomodo intellectus actu proprie intelligibile intelligat, in libro tertio de anima abunde fuit explicatum. Humanus igitur intellectus, inquit, non bene habet, id est, non habet optimam vitam, siue intellectiōnem, aut contactum & contemplationem optimi ac primi intellectus, qui scilicet ab intellectu humano diuersus est, non inquam illam in tempore & per tempus habet, sed in toto quodam. Appellat autem totum quoddam, instans indiuiduum, quod licet terminus temporis sit, tempus tamen nō est. Nam cum intellectus diuinus velut forma sit humani intellectus, cū ipsum attingere potest, omnis autem forma in indiuiduo momento generetur, nimirum cognitio & contactus primi intellectus humano intellectui in ipso puncto temporis ingeneratur.

Considerandum etiam est, vtrouam modo vniuersi natura bonum ipsum atq; optimū habet, vtrum separatum quoddam & per seipsum, an ordinē ipsum, an vtroq; modo, perinde atq; exercitus. nam bonum ipsius in ordine consistit, & insuper bonū ipsius est ipse dux, atq; magis. non est enim ob ordinem ipse dux, sed ob ducē est ille. Vniuersa autē sunt aliquo modo, sed non similiter ordinata, aquatica, volatilia, plātæ: & non ita sese habent, vt alteri sit quicquā ad alterū, sed est aliquid plane. nā ad vnū quidem vniuersa sunt ordinata, sed perinde atq; in domo liberis quidē minime licet quoduis facere, sed omnia sunt aut plurima ordinata. mancipia autem feræq; pauca sane, parumq; ad societate conferētia faciunt, pleraq; vero nihil ad eandē conducentia agunt: natura nanq; cuiusq; ipsorum tale principium est. Dico autē hoc pacto. Omnia ad segregationē venire necesse est, & alia ita sunt, quorum res omnes participes sunt ad ipsius totius cōstitutionē.

Considerandum etiam est, vtrouam modo vniuersi natura ipsum bonum, atq; optimum habet.) 40  
 Quæstio quam proponit, huiusmodi est, cum vniuersi natura (vocat autem vniuersum hunc mundū sensibilem) bona sit atq; optima, vtrum causa quamobrem mundus hic bonus & optimus est, diuersa & substantia quædam atque per se consistens natura esse putari debet: an ipse ordo quo dispositus atque digestus est, prorsus vt mundi huius bonum & optimum ordo ipsius esse intelligatur: & respondet dicens: (An vtroque modo) Etenim vniuersi duplex bonum esse fatendum est, id est ordinem ipsius. Nam & ob hoc bonum atque optimum, & primum intellectum, quoniam per hoc quoque vel in primis mundus pulchritudinem ac bonitatem optinet. quæ verba ipse manifesto exemplo declarat. Nam quemadmodum, inquit, vt exercitus bene habeat, in ordine ipso positum est, ac huiusmodi ordo ipsi est bonum & optimum, atq; item imperator, immo vero multo hic etiam magis bonum & optimum exercitus est, cum exercitus ordo per imperatorem consistat, non ediuerso per ordinem imperator, sic vniuerso bonum & optimum non ab ordine tantum, sed etiam a primo intellectu contingit, per quem ordo constat vniuersi. Hæc pie ac philosopho conuenienter effatus, negat quidquam frustra & superuacaneum esse, sed omnia, licet multa nobis ignorantur, coordinata esse, & ad vniuersi perfectionem, pulchritudinem, summamque bonitatem pertinere. & quæ sint ea quæ ad vniuersi perfectionem disposita & ordinata sunt, colligit, volatilia, natantia, stirpes, & cætera. Sed quanquam huc omnino cuncta pertineant, conferantque, non tamen similiter omnia, sed alia magis, alia minus. Sed fortassis licet quædam maxime, alia parum faciant ad vniuersi perfectionem, tamen non sic se habent, vt nulla inter se societate teneantur, sed omnibus est aliquid commune, vel subiectum & figura, vel subiectum duntaxat: aut neq; subiectum neq; figura, sed color. Immortalia enim ac diuina corpora neque subiecti, neque figuræ siue formæ

Exercit⁹ p  
 imperato  
 rē cōsistit,  
 non cōtrā.

societatem cum natiuis corporibus habent, sed forsitan splendoris. quanq̄ splendor vtrorumq̄ non sit omnino similis, sed inter se & formam & subiectū habent commune. At quæ nascuntur & occidunt, quædam inter se cōmunitatem habent proximæ materiæ, informis omnia. Hæc igitur, vt dictum est, in vnum quiddā vnamq̄ vniuersi naturam & perfectionē ordinem habent, sed non omnia similiter. Sed quemadmodum in domo aut in ciuitate ingenui homines non hæc agere permittuntur, illa vetantur, sed ipsorum cuiq̄ pro suo arbitratu medicā artem exercere licet, aut in militia versari, & cuncta citra exceptionem agere, quæ proprie ad ciuitatis cōstitutionem pertineant, vel si nō omnia (sunt enim quædam quæ ingenuorum ordini non conueniunt, vt purgationes viarū, & similia) certe plurima liberis hominibus obire licet. Seruis atq̄ bestiis, hoc est animalibus rationis expertibus, exigua, & ad ciuitatis cōstitutionem parum conferentia. qui multū tempus, inquit, quod cōtingit, agunt, id est, exiguo tempore agunt, & quæ parū conferūt ad statum ciuitatis. Nam licet diu in opera sint, nihil tamen agunt, quod ciuitatis statum cōstituatur. Neq̄ enim Mancipijs bellum gere re licet, nec iure ciuili aut philosophiæ vacare, aut quodpiam aliud magnū munus obire ex ijs quibus iaciuntur fundamenta reipublicæ: sed ligna secare, aut coquinariam artem exercere, & cæteras id genus operas præstare. Vt igitur in his, sic in illis sese res habet, quæ ad naturam pertinent vniuersi. quædam enim ad vniuersi naturā statumq̄ maxime faciūt, alia minus. A Rep. igitur exemplo sumpto, sermonē ad naturam vniuersi traducit, & ait. (Natura nanq̄ cuiusq̄ ipsorū tale principium est.) id est, natura & principium eorū quæ ad vniuersi naturam cōducunt, huiusmodi est. Neq̄ vero nūc de omnibus simpliciter loquitur, sed de natiuis & occiduis. Principium igitur & natura istorū huiusmodi est, & qualis sit, subiungit. (Dico autem hoc pacto, omnia ad segregationem venire necesse est, id est, necessum est, vt natiua quæq̄ (de his enim, vt diximus, verba facit) ad discretionē veniāt, id est, vt alterum ex altero fiat. In hoc enim nascētium natura congruit, & hoc ipsis est cōmune, quod omnia ex omnibus generantur, ex elementis scilicet concreta, ac ex cōcretis vicissim elementa modo alio: vt dubiū esse non debeat, quin id natiuis omnibus cōmune sit, vt alterū ex altero generetur. Exposito autē natiua omnia materiæ ac mutua inter se generationis societate teneri, infert. (Et alia ita sunt, quorum res omnes participes sunt ad vniuersum) id est, non solum id habent cōmune, quod ad explendum vniuersum alterum ex altero generantur, sed alia etiā, vt colores, figuras, magnitudines. Nam & hæc cuncta ad vniuersi naturā pertinent, cū absq̄ magnitudine figuraq̄ sensibile nullū habeatur. At noster quidem præceptor sic hunc locū enarrabat. Sed fortasse cū ait, (omnia ad segregationem venire necesse est) illud omnia, non ad natiua duntaxat, sed ad omnia, etiam ad circūlata diuinaq̄ corpora referri debet: vt sit sensus, vt omnia tū natiua, tum etiam circūlata corpora ad discernendum, hoc est ad constituendū vniuersum mundū veniant necesse est. & discernendū pro constituendum dictum accipiatur. Sic enim Anaxagoras aiebat. intellectus discernendo mutuas partiū similitudines, vniuersum constituit. Illud vero (& alia ita sunt, quorum res omnes participes sunt ad vniuersum) vt ciuitatis exemplo cohærens accipi debet in hunc maxime sensum: quemadmodū in fundata rep. omnibus est aliquid commune, sic alia inter se cōmunitatem habent, & mutua ope iuuantur ad explendum vniuersum: vt in construendis ædibus quidam ædificant, alij lutū suggerunt, sunt qui dolent poliantq̄ materiam, sed omnes hæc ad ædium vniuersitatem conficiunt.

Non lateant autē oportet quæ impossibilia aut absurda iis eueniūt qui aliter dicunt, & quænam asserunt, qui elegantius dicunt, & in quibus minime dubitationes existant. Omnes enim ex cōtrariis omnia faciūt. at neq̄ hoc ipsum omnia, neq̄ hoc ipsum ex cōtrariis recte dicunt, nec quo pacto ex contrariis erunt ea in quibus est contrarietas, dicere quisquam videntur. pati nanq̄ a sese mutuo contraria nequeunt, a nobis autem cū ratione id soluitur, propterea quod tertium quippiam est. At quidam contrariorū alterum materiam faciunt, vt ii qui inæquale æquali, aut vni multa supponunt. soluitur autem & hoc eodem modo. materies enim quæ quidem est vna, nulli profus cōtraria est.

41 Non lateant autē oportet, quæ impossibilia aut absurda ijs eueniunt qui aliter dicunt.) Exposita opinione sententiæq̄ sua, hoc in loco quæ in omnibus alijs suis operibus, cæteris placuisse dixerat, ea strictim explicat dicens, operæpretium esse intelligere, quæ incōmoda & impossibilia eos consequantur, qui aliter ac nos dicimus præcipiunt: tum quæ ab illis dicantur, exponit, (Omnes enim, inquit, ex cōtrariis omnia faciunt.) qui hoc ipso errāt, quod omnia genita esse tradunt. neq̄ enim cūcta sunt genera. item quod ex contrariis omnia fuerint dicunt, quippe nō omnibus aduersantur aliqua, cum circūlato corpori nihil sit contrariū. cum igitur res partim genitæ sint, partim secus, errant isti, in eo quod omnia generari tradūt. Similiter quoniā quibusdam cōtraria sunt, alijs nō item, idcirco perperam iisdem contrarietatem cūctis rebus tribuebant. Sed neq̄ illud explicabant, in quibus inest cōtrarietas, in ijs quomodo ex cōtrario contrarium efficiatur. Neq̄ enim albedo nigredo efficitur, nec albedo omnino patitur a nigredine. Sed nos, inquit, materiam tertium subiectū ponentes, huic quæstioni facile occurrimus. quidam vero contrariorum alterum alteri subijciebāt, vt Plato, qui malum & inæquale, quibus nominibus materiam appellabat, alteri cōtrario, id est bono & æquali subijcie-

Mancipijs  
quæ nō liceant.

Vniuersi  
ad remp.  
collatio.

Plato.

Materia  
nulli con-  
traria.  
Forma &  
priuatio cō-  
trarię sunt.

bat. formam vicissim boni & æqualis nomine significans. Sed quoniam Plato materiam modo ma-  
lum, modo inæquale, interdum appellat multa, ac vicissim formam tū bonum, tum æquale, aliquā-  
do etiam vnum, cum dixisset eos inæquale æquali subiectum esse cōminisci, ei adiecit, (vel vni mul-  
ta) quin & modum, inquit, isti reticuerunt, quo vnum contrariū alteri subijciatur, quibus illud quoq;  
vitio vertit, quòd materiam contrariū appellarent. Neq; enim materia cum forma pugnat, quam cū  
ea consistere certum est, sed priuatio. Quod igitur materiam formæ subiectam esse dicerent, laudandi  
sunt, quod oppositam, reprehensione digni, cum pugnantia simul esse nō possint. Sed quoniā Ari-  
stoteles materiam vel maxime subiectum esse ait, idcirco velut captionibus occurrens ait. Sed a no-  
bis incommodum huiusmodi dissoluitur, qui licet materiam subiectam esse dicamus, eam tamē cui-  
piam contrariā esse negamus: sed formam & priuationem quæ de huius possessione velut prælio  
decernunt, inter se cōtrarias esse dicimus. Cæterum in quibusdam exemplaribus scriptura huiusmo-  
di fertur. (Materia enim vna.) quæ si recte habeat, sensus erit. Materia enim prima nulli est contra-  
ria, cum sit omnis qualitatis expers. terra vero & ignis, & his interiecta elementa, quæ quidem pro-  
prios materia sunt, inter se contrarietatem habent.

Præterea quoduis aliud præter ipsum vnum mali particeps erit. Ipsum enim malū  
elementorum alterum est. Cæteri vero neq; principia bonum ipsum ac malum faciūt,  
& tamē in vniuersis bonum ipsum maxime principium esse constat. At quidā hoc qui-  
dem recte principium esse dicunt, sed quoniam pacto principium est, non dicunt, vtrū  
vt finis, an vt id quod mouet, an vti forma. Absurde & Empedocles cēset. bonum enim  
ipsum concordiam ponit esse. hæc autem principium est, & vt mouēs. congregat enim,  
& vt materies. est enim pars ipsius congeſti. Quod etsi eidem accidit vt sit principium  
vt materies atq; mouens, tamen ipsum esse non idem erit. Vtro igitur duorum erit cō-  
cordia? Absurdum est etiam discordiam nō subire corruptionē censere. hæc autem apud  
ipsum est ipsa mali natura. Anaxagoras autem ipsum bonum principiū, vti mouēs esse  
ponebat. mens enim mouēs, at alicuius gratia mouet. quare aliud quidpiam erit, verum  
vt nos ipsi dicimus. est enim quodāmodo sanitas facultas ipsa medēdi. Absurdū est etiā  
ipsi bono menti q; contrarium non fecisse. Omnes autem qui contraria principia po-  
nunt, contrariis ipsis non vti videntur, si quispiam non neglexerit, sed diligentius sen-  
tentias illorum perspexerit. Nemo præterea, cur aliæ rerum intereunt, aliæ non inter-  
eunt, dicit. Res enim vniuersas eisdem ex principiis faciunt.

Empedo-  
clē arguit.

Anaxago-  
ram arguit

Præterea, inquit, si malum subijcitur, & ex malo cuncta existunt, omnia malo participabunt. Et  
excepto vno, quod per se esse tradebant, nihil erit bonum. Sed cum Plato bonum & malum princi-  
pia esse statueret, pugnant Pythagorici bonum principium esse negantes. quomodo autē Pytha-  
goricis bonum & optimū principium esse non placeret, supra hoc in libro docuimus, cum dictionē  
exponeremus, quæ ait, qui vero pulcherrimū & optimum principiū esse non putant, vt Pythagorici  
& Speusippus. Sed alij, inquit, bonum principium esse statuentes, recte præcipiunt: quomodo tamē  
bonum principiū sit, non definiunt, num quasi finis, an vt efficiens, an velut forma. Tum Empedo-  
clē taxat, qui amicitiam incommode principiū esse statuebat. Nam cum amicitiam coactricem ef-  
fectricemq; sphaeri vocat, hanc efficientem causam statuere videtur. Rursus materialē, cum eandem  
mixturæ sphaeriq; partem esse facit. quo posito ait. Etiam si amicitiam subiecto esse vt materiam, &  
vt mouens concedamus, ratione tamen discrimen erit omnino. quod si ita est, vtrum quia mouet, est  
amicitia? an quia materia est? In quo igitur amicitie substantia esseq; positū sit, explicatum oportuit.  
Iam vero si amicitia, vt Empedocli placet, bonum est, profecto discordia malū erit. Nam si contra-  
rio contrarium, contrariū quoq; contrario. At si hoc verum est, quomodo discordia immortalis dici  
potest? Nam cum amicitia cum omnibus cōueniens sphaerū effecerit, vt pereat discordia necesse est.  
neq; enim discordia simul fuerit cū amicitia. Falsum est igitur dictū, quod Empedocles asserit, discor-  
diam esse immortalem. Anaxagoras vero bonum, hoc est intellectū, mouens principium esse con-  
stituebat. Sed cum mouens alicuius gratia moueat, erit profecto aliquid cuius gratia mouet intel-  
ctus. hoc igitur quid sit, explicetur. nisi forte, inquit, Anaxagoras ita dicit, vt nos. Nos autem dici-  
mus, medicinam quæ quodammodo forma valetudinis est, cum aliquid valetudinis gratia mouet,  
id sui gratia mouere. Si ergo Anaxagoras ad hunc modū de intellectu differit, vt idem faciat mo-  
uens, idem hoc cuius gratia mouet, & omne quod mouet, ipsius gratia rem motā mouere dicat, ra-  
tioni consentanea dicere videri possit. Aliud item peccatum obijcit Anaxagoræ, minime conuenire  
dictans, qui mentē bonum esse dicat, eundem ipsi non opposuisse malū, cum altero contrariorū exis-  
tente, alterum esse necesse sit. quibus singulorū peccatis aliud commune cunctis adiungit. Nam si  
quis, inquit, ipsorum dicta percurrere non grauabitur, tantiq; putabit accuratius ea cōsiderare, om-  
nes deprehendet principia efficere contraria, nec tamē ipsis in generatione rerū vti, sed conuerti ad  
aliud. quanq; hoc ipsis multis in locis vitio dedit, rem apposita expositione opportuna declarauit.



Præterea cum omnes qui principia statuunt, exposito principio cuncta gignant, ut aquam principium statuentes, cælum & terram, breuiter omnia ex ipsa genita esse aiunt, causam tamen cur alia cauda sint, alia sempiterna, reddere sunt grauari. At reddere necesse fuit, & cur quæ ex eisdem principijs oriuntur, partim mortalia sint, quædam immortalia, docere. Aristoteli enim, qui cælos ex alio, hoc est ex quinto corpore generat, res natiuas ex alijs, causam explicare in promptu est, cur alia interitui opportuna sint, alia perire nequeant. quod illis non licet, qui non idem cunctis subiectum esse faciunt.

Præterea quidam ex eo quod non est, ea quæ sunt, fieri dicunt. Quidam ne idipsum dicere cogantur, vnum omnia faciunt. Præterea nemo, cur semper erit generatio, & quænam sit generationis causa, dicit. Atqui tam ij qui principia duo faciunt, quàm ii qui formas afferunt, aliud principium magis præcipuum ponant necesse est, quoniam pacto res aut fuerunt, aut sunt illorum participes. Et cæterorum quidem sententia, sapientiæ ipsiq; scientiæ præstabiliissimæ contrarium quippiam esse necesse est. At nobis id euenire non potest. nihil est enim contrarium ipsi primo. omnia nanq; contraria materiã habent, & hæc potentia sunt. Ignoratio vero contraria ad ipsum contrarium est. At ipsi primo contrarium nihil esse videtur.

- 43 Alij præterea, inquit, ut Hesiodus, ex non ente cuncta gignant, cuius causa reddenda fuit. Alij, ut Parmenides, ut hoc incommodum euaderent (est enim omnium physicorum consensus, ex eo quod funditus non est, nihil generari) ens vnum esse aiunt, idemq; ingenitum. Sed cur generatio constat, & quæ obrem generatio semper sit, nemo docet. His commemoratis, qui duo principia faciunt ut contraria, & quibus formas initia esse placet, ijs ea satis esse negat ad rationem reddendam cur sic res habeant, ut habere cernuntur, sed aliud potius præstantiusq; principium statuere necesse est, quod hic nobilissimum intellectum esse dixit. ex ipso enim omnia & in ipsum conuertuntur. Et cur princeps aliud initium statuere sit necesse, exponit dicens. Cum enim per istos formarum participatione nostratia generetur, quomodo, inquit, horum fiet particeps materia, si non est aliud præstantius quod moueat utrumq; id est materiam & defluxum, ut isti aiunt, qui a forma influit in materiã. Nam si defluxus quidam ex formis delabentes, congressu materiæ hæc efficiuntur, necesse omnino est, ut aliquid tum materiã ad excipiendum defluxum, tum defluxum moueat, ut cum materia copuletur. Et cæteri, inquit, theologo qui contraria principia esse dicunt, confiteantur necesse est, sapientiæ ac honoratissimæ doctrinæ aliquid esse contrarium. Nam si scientia, ut supra diximus, idem est quod scibile, nimirum si principio, quod est proprie intelligibile, quidquam opponitur, aliquid etiam erit quod pugnet cum ipsa doctrina. Illis ergo hoc accidit incommodum, ut sapientiæ sit aliquid contrarium: nobis, inquit, haudquaquam, cum principi causæ ac nobilissimo intellectui nihil opponatur: ac proinde ne doctrinæ quidem cuius munus est de ipso disputare. Causam porro cur primæ causæ nihil opponatur, strictim explicat, dicens. (Omnia nanq; contraria materiã habent) & in materia consistunt, & horum quodq; suum contrarium est potentia: quandoquidem album, facultate nigrum est. quæ ratio eadẽ in primo principio valebit, si quidq; ipsi contrarium faciamus. At nullum contrarium separatim consistit, sed in subiecto atq; materia. Primum igitur principium cum a materia longissime abhorreat, actusq; sit expers omnino potentiæ, nullum contrarium habere potest. quare ne doctrinæ quidem de ipso dissentienti, ignorantia erit opposita. Quæ si huic doctrinæ opponeretur, id certe in quo versaretur ignorantia, primo principio contrarium esset.

Causæ primæ nihil opponitur

Primum principium non habet contrarium.

Præterea si non sint alia præter res ipsas sensibiles, non erit principium, nec ordo, nec generatio, nec ipsa etiam corpora cælestia erunt, sed semper principij principium erit, ut theologis omnibusq; naturalibus accidit. Si vero sint formæ vel numeri, nullius prorsus rei causæ erunt. Quod si ita non sit, at saltem nullius erunt causa motionis. Præterea quomodo ex hisce quæ sunt expertia magnitudinis, magnitudo continuumq; emergere potest? Numerus enim neq; ut mouens, neq; ut forma continuum faciet. At vero nihil contrariorum erit, quod effectiuum erit atq; motiuum. potest enim non esse. at agere, potentia posterius est. Non ergo perpetua sunt ea quæ sunt, at sunt, ergo aliquid horum tollendum est. Dictum est autem quo pacto actum potentia antecedit.

- 44 Præterea si non sint alia præter res ipsas sensibiles, non erit principium, neq; ordo. Hæc non temere, neq; ab re hoc in loco ponit, sed Platonis & Pythagoreorum sententiam refutaturus, primum substantias quasdam intelligibiles esse constituit, deinde ordine querit num hæc Platonis ideæ sint, an numeri Pythagorici. Nisi ergo, inquit, intelligibile principium sit, & incorporeum, atq; per se, neq; ordo, neq; generatio constabit. Generatio autem, imò vero ne cælestia quidem constabunt, quæ in libro de cælo ingenita & immortalia esse demonstrantur. Sed si aliquid semper esse debet, principij principium erit, & huius alterum, & hoc in infinitum: quæadmodum theologo aiunt. Si enim Martis sit Iupiter prin-

cipium, Iouis Saturnus, & huius aliud initiū: vel rursus si formæ sint nostratum rerū initia, formarum numeri, horū dualitas & vnum, nimirū absq; sine procedatur. Ad hæc si ideq; vt Platoni videtur, vel numeri, vt Pythagorici volūt, principia sint, nullius erunt causæ: vt in libro primo maiore demonstratū est, & in proximis duobus ostenditur. (quod si ita non sit) id est, si quis falsum esse dicat neq; formas neq; numeros quorūpiam esse causas, illud saltem cōcedat oportet, nō esse vel formas, vel numeros cuiusquā motionis causas. Concesso igitur vt numeri causæ sint, inquit, quomodo ex numeris magnitudinis expertibus & inter se discretis magnitudo & cōtinens valeat existere: cum numerus continuum non efficiat. neq; enim fieri potest, vt vnitas cum vnitatem cōfundatur. (Neq; vt mouens, neq; vt forma.) id est, neq; vt efficiens, neq; vt formalis causa numerus erit. Sed neq; formas neq; numeros mouēdi facultate præditos esse cōfirmato, ait. (At vero nihil contrariorū erit, quod effectiuū erit atq; motiuum.) exempli gratia malū vel inæquale: quoniam contrarium potentia est, & opera fungi valet. quamobrem aliquādo vacabit ab agendo, cū sit omnis actus facultate posterior. Cū igitur cessabat, nullog; munere fungebatur, entium nullum omnino erat. quod fieri nō potest, cum aliqua sempiterna esse sit demonstratum. Falsum igitur dictū est, contrariorum alterum esse causam efficiētem. Cum enim contrarium potētia, vt exposuimus, sit, posterius egreditur in actum. Potentiā vero, inquit, actu quodammodo esse priorem supra declaratum est. Docuimus enim in eodem atq; vno, vt in Socrate, potestatem actu priorem esse, in vniuersum minime.

Præterea quomodo sunt ipsi numeri vnum, aut anima & corpus, aut omnino forma & res, nemo dicit, neq; dicere potest, nisi dixerit, perinde atq; nos dicimus, id quod mouet, hoc ipsum facere. Qui vero numerum mathematicum primū, & ita semper aliam substantiam deinceps hærentē, & alia cuiusq; principia esse dicunt, aduentitiam profecto faciunt ipsius substantiam vniuersi. nihil enim alia ad aliam substantiam, siue sit, siue non sit, cōferre sane videtur, & insuper principia multa. At ea quæ sunt, male gubernari nolunt. multos principes esse, bonum non est. Vnus ergo sit princeps.

Præterea, inquit, quomodo sunt ipsi numeri vnum. Id est, quidnam est, quod vnit tres vnitates, easq; numerū tria facit? aut septem vnitates numerum septem, & alios similiter numeros? Item animam quid vniuit copulauitq; cū corpore, & vnum quiddā effecit? & (Omnino, inquit, forma & res) Rem, vt mihi videtur, materiā appellās. Forma igitur & materia quomodo fiant vnū, nemo docet. Sed neq; formæ actu efficiētes, & per se asseri possunt, nisi dixerint, vt nos dicimus, formā non esse per se in existentia, sed cum tali materiæ motione ipsi possit ingenerari a materia, dum a motore sui mota fuerit, ipsam assumi. Nec vero quæri debet quomodo rotunditas cum cera vnum sit. neq; enim rotunditas per se ac separatim existens cū cera coit, sed certa ipsius ceræ motione generatur, cū per se nō existeret. At qui formas per se existere comminiscuntur, ij rationē reddere nequeūt, qua materia & forma, quæ inter se distinctæ ac separatæ sunt, & existentes conueniant, & vnū ex ipsis conflatur. Sed Pythagorici, inquit, vel Plato, qui ex numero tria planū generari tradunt, ex plano triangulos, ex his pyramides, ex pyramidibus ignem, rursus ex numero septem iustitiam, ex vnitatem cælum, & ex alijs alia, haud dubie rerum substantiā aduentitiam faciunt. hoc est, negāt cuiuspiam aliquid esse cū altero cōmune, sed omnia inter se aliena. Ita si ignis exempli causa sit a terra funditus alienus, nec illis sit quicquid commune, ignis sit, necne ignis, nihil interest ad hoc, vt terra constet. & pari ratione de cæteris est statuendū. Nos enim qui cunctis aliquid esse cōmune asserimus, substantiam alteram alteri conferre, adiumentoq; esse ad hoc vt sit, confirmamus. quod vero ex penitus diuerso principio, exempli causa ex vnitatem existit, quid ei confert, quod cōsistit ex alio, vt ex triangulo vel quadrato figura? vnitati enim & quadrato cōmune nihil habetur. Vt ergo nos cū alter alteri mutuis officijs nō sumus adiumento, male ac incommode degimus, sic in vniuerso sese res habeat oportet. Tum igitur ob hanc causam res prauè administrarētur, tū quia Pythagorici complura & inter ipsa similia principia faciūt. vbi est enim principiorum multitudo, ibi ordo constare nequit. Nam multorum principatus nihil est aliud q̄ confusio, & ordinis perturbatio. At res non male gubernantur, sed cōstanter & optime. Si ergo multorum principatus ordinem perturbat, & causa est malæ rerum gubernationis, cum res nostræ mutuo auxilio non male, sed optime administrantur, nimirum principia complura non fuerint. Neq; enim multorum principatus bonum est, sed princeps vnus, vnumq; principium: quidē est deus. Nam vagantium sphaerarum causæ sunt illæ quidem dij, sed participatione & voluntate a primo eodemq; beatissimo intellectu pendent.

Multorum principatus malus.

Dij participatione.

Finis enarrationis Alexandri Aphrodisei in librum Aristotelis de prima philosophia vndecimum, qui Latinis & Arabibus est duodecimus, interprete Ioanne Genesio Sepulveda.

Parisijs, ex officina chalcographica Ludouici Cyanei, sumptibus honestissimi viri Simonis Colinæi, Anno Domini M. D. XXXVI. mense Aprili.



NICOLA  
THOMAEI O  
IN LVCE

SCIT


PHRASIS IN CO  
SIS DE ANIMALI

PHRASIS IN FIV  
DE ANIMALIV

TIONES QVAED  
SUS PROBLEMA

STIO MECHAN  
OTELIS CVM  
S QVIBVSDA

LYCII EXP  
VBI DE AD  
TR, IN LATIN  
ORVM HARMON  
TRA.



ORVM APVD S